



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit


V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tractatus De Moribus, Amore,  
Servitio Æternæ Sapientiæ

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066375**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45408**




M. 2573

J. VII

27





V. P.

GASPARIS  
DRUZBICKI,

*SOCIETATIS JESU,*

TRACTATUS

DE

MORIBUS,

AMORE,

SERVITIO ÆTER-  
NÆ SAPIENTIÆ,

V. P. Druz. Op. VI.

A

INDEX



# INDEX CAPITUM

## Tractatus de Æterna Sapi- entia.

- Cap. I. *Æterna Sapientia est Increata.*  
Cap. II. *Æterna Sapientia est Incarnata.*  
Cap. III. *Æterna Sapientia una est & sola, quàm Rationalis appetit Natura.*  
Cap. IV. *Æterna Sapientia est Veritas & gustus: ideo rationis & voluntatis est bonum.*  
Cap. V. *Æterna Sapientia quomodo mundi Sapientiam evacuat.*  
Cap. VI. *Æterna Sapientia ex arbitrio Sapientia querenda.*  
Cap. VII. *Æterna Sapientia in omnibus equè mira, & magna, & estimanda.*  
Cap. VIII. *Æterna Sapientia omnium Regina & Gubernatrix.*  
Cap. IX. *Æterna Sapientia quid sit?*  
Cap. X. *Æterna Sapientia quid iterum sit & qualis.*  
Cap. XI. *Æterna Sanctorum ad omnia materies.*  
Cap. XII. *Æternæ Sapientie itinera.*  
Cap. XIII. *Ad Æternam Sapientiam itinera.*  
Cap. XIV.

*Index Capitum.*

- Cap. XIV. *Mater Æternæ Sapientiae MARIA, est peculiaris ad Æternam Sapientiam via.*
- Cap. XV. *Æterna Sapientia quid requirat à pervenientibus ad se, & quod eos in suo magisterio doceat?*
- Cap. XVI. *Æternæ Sapientiae gustus & finitio habenda est.*
- Cap. XVII. *Æternæ Sapientiae ministerium & ministrandi modus.*
- Cap. XVIII. *Æternam Sapientiam sibi desponsandi ratio.*
- Cap. XIX. *Æterna Sapientia quomodo animo concipienda?*
- Cap. XX. *Æternæ Sapientiae convivendi cum ea, & conversandi ratio.*
- Cap. XXI. *Ad æternam Sapientiam affectus varii Theologici.*
- Cap. XXII. *Alii ad æternam Sapientiam affectus.*
- Cap. XXIII. *Æternæ Sapientiae triplicis generis laudatio.*
- Cap. XXIV. *Æternam Sapientiam laudandi ratio specialis.*
- Cap. XXV. *Æternæ Sapientiae triplex status & nova quaedam laudandi imitandique ratio.*

**P**roposui Sapientiam adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam, mecum communicabit de bonis: & erit allocutio cogitationis & tædii mei. Preposui illum regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam. Hanc amavi & exquisivi à juventute mea, & quæsiivi sponsam eam mihi  
A 2                      assumere,



4  
 assumere, & Amator factus sum formæ illius. Cir-  
 bam quærens ut illam mihi assumerem. Invocavi  
 venit in me Spiritus Sapientiæ: conquiescam cum illa.  
 Sap. cap. 7. cap. 8.

Beatus Vir qui in Sapiencia morabitur, &  
 in Justitiâ suâ (Sapiencia) meditabitur: & in seipso  
 cogitabit circumspectionem DEI. Qui excogitat  
 Vias illius in corde suo, & in absconditis suis intel-  
 ligens, vadens post illam quasi investigator, & in  
 viis illius consistens: qui respicit per fenestras illius,  
 & in januis illius audiens: qui requiescit juxta do-  
 mum illius, & in parietibus illius figens palum, sta-  
 tuet casulam suam ad manus illius, & requiescet in  
 Casulâ illius bona per ævum. Statuet Filios suos sub  
 tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur. Prote-  
 gitur sub tegmine illius à fervore, & in gloria ejus  
 requiescet. Eccl. 14. à v. 22. ad finem.

2.  
 S. Laurentius Justinianus, in Fasciculo Amo-  
 ris sic habet; Eram vestri similis quærens astutiam  
 desiderio pacem in rebus extrinsecis nec inveniebam.  
 tandem Virgo quædam sole splendidior mihi appa-  
 ruit, cujus nomen ignorabam. Hæc propius acce-  
 dens venusto vultu, placidoque affatu; O juvenis  
 (ait) dilecte, cur effundis cor tuum, & pacem se-  
 quendo, per multa vagaris? quod queris penes me  
 est, quod concupisti, tibi polliceor, si tamen in Spon-  
 sam me habere volueris. Cum verò nomen ipsius  
 genus, & dignitatem scire peroptarem. Te, ait, Sa-  
 pientiam DEI esse, quæ propter hominum reforma-  
 tionem humanam formam suscepit. Assensi igitur,  
 dato pacis osculo, læta discessit. Hæc ille Sanctus  
 de seipso, quæ referuntur in Vitâ illius. c. 1.

## CAPUT I.

### *Æterna Sapientia est Increata.*

**Æ**Terna Sapientia JESUS CHRISTUS DEUS DE DEO, LUMEN DE LUMINE, INCREATUS, CANDOR LUCIS INCREATÆ, CONSUBSTANTIALIS PATERNÆ SUBSTANTIÆ, FILIUS, IMAGO, VERBUM, PRINCIPIUM, DE PRINCIPIO CARENTE PRINCIPIO; SEMPER PARTURITUR, SEMPER NASCITUR, NUNQUAM FIT. SEMPER NATUS & NASCENS, SEMPER ALIUS AB EO EX QUO NASCITUR, SED NON ALIUD. FILIUS PATRIS, SED PATRE NON MINOR, NON JUNIOR, NON INFERIOR. AB IPSE EST, SED NIHILOMINUS IDEM CUM IPSE. UNICUS & UNIGENITUS FACUNDITATEM DEITATIS IN SE UNO ADQUANS, NON EXHAURIENS. PATRIS VITA, COR, OCULUS, SPECULUM, FORMA, DOMUS, SPHÆRA SINE CIRCUMFERENTIALI SUPERFICIE, LATIBULUM DEI, RADIX, VIGOR, SUCCUS, NUTRIMENTUM, DIGNITAS, THRONUS, QUIES, SAPOR, & GUSTUS, NEGOTIUM, DELICIÆ, THEATRUM. COMPRINCIPIUM SUI PRINCIPII: CUM PATRE SIQUIDEM EÂDEM SPIRATIONE EUNDEM SPIRAT SPIRITUM SANCTUM, AMOREM, NEXUMQUE SUUM CUM PATRE; ALIUM À SE, & PATRE.

*O Sapientia æterna, increata, creans omnia, adoro te Creatura tua, & te propter Divinam dignitatem tuam æstimo super omnia.*

## CAPUT II.

### *Æterna Sapientia est Incarnata.*

**Æ**Terna Sapientia, JESUS CHRISTUS, DEUS, & IN FORMÂ DEI EXISTENS, ATQUE PERMANENS HOMO FACTUS EST, EX PURISSIMO PRETIOSISSIMÆ

Immaculatissimæque Parentis V. MARIE Sanguine carnem assumpsit, sibi que Hypostaticè substantialiter, naturam nostram humanam creatam in tempore conjunxit. Assumpsit humanitatem non hominem. Naturam scilicet non Personam. Assumpsit passibilem non beatam ex stirpe Adæ sed absque peccato, & qui Matrem non habebat in Cælo, non habuit in terra Patrem. Utriusque tamen Naturalis, & utriusque unus ac idem; sed Patris ab æterno, Matris in tempore. Bis genitus, natus semel in tempore, qui semper nascitur in æternitate. Natus Pater ex Filia, Artifex ex opere, Sol de radio, Fons de rivulo, Universitas ex atomo, Vir ex Virgine, Deus ex homine.

5. Natus in tempore Pater & Author temporis. Lactatus ubere, Lactator universi; strictus ex fasciis, qui mundum pugillo continet. Exulans in mundo, mundi Conditor. Laboravit in mundo vivens, qui nihil laboravit mundum condens. Latuit obscurus Candor Lucis in mundo ad tempus, in quo mundus ab æterno latuit non existens, & existens nec atomi locum occupat. Vixit inter homines Deus homo, homine quoque inferior & vilior. Vixit in plebe tanquam abjectio plebit, apud quem omnis creaturarum plebs est abjectio semper, quoties illi placet. Vixit in propriis tanquam Alienigena.

6. Quid ultra! ô Sipientiâ, quid egisti ultra. Pependit in patibulo Majestas & Dignitas DEI. JESUS CHRISTUS, Sipientia, Deus. Pependit in patibulo, flagellatus flagris, coronatus spinis, illitus fædis sputis, infrâ latrones dejectus, indignus Vitâ judicatus; & subiit mortem Immortalis.

talis Vita. Deus ab hominibus occisus est. pro hominibus ipsis, fudit sanguinem, & posuit vitam pro illorum ipsorum salute, quorum scelere illam posuit.

O Sapia! sapichasné cum talia agebas! O Increata Sapia! quomodo Incarnari potens, voluisti? volens potuisti, & Incarnata adeo indigna te super subiisti? Tuum hoc opus est Sapia; Sapia id saporis tuo; ô fac quoque ut consimile quid, sapiat gustui meo.

### CAPUT III.

*Eterna Sapia una est & sola, quam Rationalis appetit Natura.*

7.

NULLA Natura sine appetitu est. Est autem appetitus alicujus: nihili enim appetitus non est, proinde nec mali; cum & hoc nihil sit. Bonum ergo est, quod appetunt omnia quæcunque aliquid appetunt. porro bonum & conveniens idem sunt; Unde quæ nobis convenire putamus, bona vocamus & ea appetimus. Hinc etiam fit, ut nemo appetat id, quod sibi non convenit: ideo lapis in Angelum mutari non cupit, quod non competit. Suum ergo quæque natura vult bonum. Quid autem Rationali Naturæ bonum, nisi Sapia? Commedere, dormire, bibere, & quæ hujusmodi sensualia bona sunt, non appetit ratio, quia non sunt sibi bona: etsi appetit, in tantum utique, in quantum cum sensu quoddam est unum: cui ut satis commo- det, opus est, aliàs si hæc ut sua bona vellet, à se ipsâ ad bestialitatem transfiret, & ratio non esset. Quocirca homines qui ita vivunt, (vivunt

autem heu multi) contra rationem agunt, & bestiis comparantur. Ergo Sapiencia sola & una est, quæ rationi, quia competit, appetibilis etiam est. Certè Deus quoque ipsemet Sapienciae unicus Amator est, (sed & omnium (in Sap. 8. 3.) Dominus, dilexit illam) appetit illam sibi, in se, & ita in ejus possessione complacet sibi, ut faciat eam alterum se. Appetit illam & in nobis; idcirco, qui amant Sapienciam, placent sibi; aufert autem se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.

8. Quid Natura nostra? vel nolens sapere vult, & quærit Sapienciam! Etiam ii, qui ex professione nequiter agunt, rationique suæ rebellant, sapienter se id agere, imò sic Sapienciam quærere putant: Sicut vita sine motu non est, ita omnino, sine Sapienciae studio non agimus, etiam tunc quando ipsi Sapienciae repugnamus: Et veluti aër iste ubique se miscet, ita Sapiencia penetrat omnia: Veluti Sol illustrat etiam fæces, & sordes, sic Sapiencia etiam ibi hæret unde ejicitur, hoc est, etiam in peccatis est. Sine Sapiencia ne peccare licet.

9. O Sapiencia quoniam te vel nolentes volumus, quomodo tandem fit ut te volentes nolimus? Contingit tibi ut huic tempori; abutimur tempore, cavemus tempore, etiam tunc quando minime sumus absque tempore; Tempus perdimus & habemus illud, quia in ipso tempore perdimus illud: ita & tibi o Sapiencia facimus, te contra te utimur, te per te impugnamus, in te desipimus contra te. Nusquam evacuari & excludi potes: quia Sapiencia es, reperis aditum: quia Aeterna es, duras etiam evacuata. O illa-

O illucesce nobis aliquando, ut cognoscamus te, & ea-  
mus ad te, per te, maneamusque apud te.

## CAPUT IV.

*Æterna Sapientia est Veritas & Gustus: ideo  
Rationis & Voluntatis est bonum.*

Oculus lucem quærit, ratio veritatem, & vo-  
luntas boni saporem appetit. Lux seipfa vi-  
sibilis est, Veritas per se intelligibilis, sapor per  
se gustabilis. Sapientia Veritas est, nec ea qua-  
liscunque sed possessa, hoc est cognita, habere  
enim veritatem est ipsam cognoscere. Quis au-  
tem veritatem novit? nisi qui sapit. Quis imo  
illam novit, & non sapit? Quis autem sapit, si  
saporem non sentit? Quis autem sensus iste est,  
quo sentitur sapor? non utique alius, quàm ipse  
sibi: semet enim ipso sapor sapit & sentitur, sicut  
semetipso lumen lucet & videtur. Cæterum cum  
aliud sit quod sapit, & aliud cui sapit, siquidem  
Sapientia, Sapor est cui tandem? Voluntati uti-  
que & appetitui: ejusdem enim est Saporem per-  
cipere, cujus & appetere; aliàs quid appetit, si  
percipere ineptum est? Voluntati ergo sapit Sa-  
pientia, sed utique non nolenti, verum volenti.  
Volens ergo voluntas gustat Sapientiam. O fe-  
licitatem Voluntatis, suum si norit bonum! Velle  
sapere, jam sapere est: nam si non sapit, qui sa-  
pere vult, desipit ergo, quod, quis credat? Us-  
que adeo tam facilè est sapere, quàm facilè est  
velle. Sapere vis? velis, & jam sapis.

10.

Et cur tam pauci nihilominus sapiunt? pauci  
nimirum volunt. Heu tamne grave & arduum est  
homini velle, id quod vult? ô tortuosam Homi-

11.

A § nis

nis vitam & indolem; id quod vult, non vult, & quidem volens non vult, cum tamen, (quod mirum magis) sapere vel nolens velit. Nam, nunquid ille qui non vult sapere, stultè se id, & non rationabiliter putat velle; imò Sapiens sibi in hoc videtur, quod nolit esse Sapiens: adeo sine Sapientiâ, ne insipientes quidem esse possumus. Nimirum, sicut dum contra rationem agimus, cum ratione & ex ratione agimus; & sicut dum in vitam nostram grassamur, vitâ ipsâ contra vitam nostram utimur: sic Sapientiâ in Sapiëntiam armamur. Miseri non semel! qui quæ operâ bonæ uti in bonum nostrum possemus, eadem operâ potius illomet bono in malum nostrum abutimur, vadimusque à salubri Sapiëntiâ & amicâ, ad nocentem & inimicam. Ô humana ratio quare sic irrationalis es? Ô humana voluntas cur adeo non volens es?

*Æterna Sapiëntia tu vince mæandros perversitatis nostræ, sinuososque hos anfractus corrige, Veritatem te ratio sequatur & apprehendat; Saporem te voluntas capiat & sapiat. Tendant ad te animi nostri, & in te centro suo quiescant, in te bono delectentur, te Vero satientur, te Vitâ vivant, te uno contenti sint, te perfectò consummentur compleantur, & beatificentur.*

## CAPUT V.

*Æterna Sapiëntia quomodo mundi Sapiëntiam evacuat?*

12. Sapiëntia solida est si Sapiëntia est. Soliditas Sapiëntiæ Veritas est: quæ ergo Sapiëntia vera, hæc solida, & quæ solida hæc verâ.

At

At enim quænam Sapientia vera & solida? Non aliam arbitror, quam quæ non inflat, nec inflatur, quæ nec evacuat nec evacuatur. Inflat & inflatur sapientia, quæ vana est, & cassa veritate. Evacuat & evacuatur, quæ stultitiæ resistere non potest. Vis fictum à vero discernere Sapiente? aut te aut illum stultum facito, liquidò deprehendes qualis sit, neutrum enim feret, si fictè Sapiens est: contraria enim cedunt contrariis, junguntur similibus. Æternam attende & hujus mundi Sapientiam. Utra vera sit perquire. Et nomina quidem ipsa si attendis, jam rem tenuisti. Æterna illa est, durat ergo & solida & vera. Ista hujus mundi est, evanescit ergo, & præterit sicut figura mundi hujus. Quid est Hujus? temporis hujus: quid autem tempus ad Æternitatem? Umbra ad Veritatem.

1. Cor. 7. 31.

Sed vide insuper utramque Sapientiam: utra inflat, utra inflatur? Æternam Sapientiam contemplant: noli existimare quod te ad Sinum Æterni Patris amandem. Absit: *Tenebras posuit latibulum suum*, non cognosces. Sinum Matris aspice vide Sapientiam Incarnatam: quid vanius carne? *omnis caro fœnum, ad modicum parens est vapor, universa vanitas est omnis homo vivens*; Denique ait DEUS; *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est*. Nunquid tamen evanuit Sapientia æterna in vanitate tantâ, hoc est in Humanitate nostra? Nihilominus sanè, sed potius, etsi infinitis se perrexisset exhaurire evacuareque modis, solida inventa est & vera Sapientia, adeò ut cum in formâ DEI esset, & exinanivisset semetipsum formam servi accipiens, & usque ad mortem crucis se demittens, tandem tamen DEUS exaltavit illum

Ps. 17. 12.

Isaie 40. 6.

Jac. 4. 5.

Eccl. 1. 14.

Gen. 6. 3.

Phil. 2. 6. 7.

Et do-



- Joan. 1. 6.* **Et** donavit illi nomen super omne nomen, factusque est fundamentum salutis omnium, de plenitudine cuius accipimus omnes nos omnia, ita ut sine illo nihil possumus facere, nullum sine hac vite fructum ferre. Non illi obfuit caro, non stabulum, non Paupertas, non subjectio, non contemptus, non dolor, non inimicitia, non vulnera, non mors, non sepultura, non patibulum, prævaluit Veritas, & sibi similis constitit Sapiencia.
- 14.** Neque solum illa sibi constitit, sed etiam inimicam omnem Sapienciam Vanitate inflatam, re veritateque vacuum ostendit & evacuavit. An
- Lac. 10. 18.* non ostendit, qui ait; *Videbam Sathanam tanquam fulgur cadentem de cælo: Mendax est, Et Pater ejus: in veritate non stetit?* Hæc ille de primo, de primario Mundanæ Sapienciæ Filio qui est Rex super omnes filios mundanæ Sapienciæ, hoc est, *Superbiae*. Non evacuavit hujus mundi Sapienciam,
- 1. Cor. 1. 27.* quando omnia quæ mundo stulta sunt **Et** infirma,
- 28.** ipse elegit ut confunderet fortia? quando placuit illi per stultitiam Prædicationis salvos facere credentes? quando denique ut brevibus complectar multa, dixit; *Quid prodest homini, id est, nihil prodest, vanum est, & fallax est, si universum mundum lucratur, se autem perdat?*
- Matth. 16. 21.*
- 15.** Jam quomodo clariùs evacuare potuit Mundi Sapienciam quàm dicendo; *Omnis qui se humiliat exaltabitur, omnis qui se exaltat humiliabitur. Discite à me, quia mitis sum Et humilis corde. Beati qui lugent, Væ vobis qui ridetis. Beati pauperes Spiritu, qui persecutionem patiuntur, qui lugent, qui esuriunt Et C.* Facilius est Camelum ingredi per foramen acus quam divitem in Cælum? Quid illud, quod crucifixus, mortuus, patibularius, omnem

nem mundi fastum evertit, subjecit, sustulit, id-  
que non opprimendo, sed oppressionem in suis  
sustinendo? Si Mundi Sapiencia vera est & soli-  
da, quare Æternæ Sapienciæ per stultitiam secum  
contendenti non restitit? quare cessit? quare  
evanuit? nimirum vana fuit. Non est Sapiencia  
vera, quæ stultitiæ resistere non scit, nec potest.  
Nolo istam Sapienciam quæ vincitur stultitiâ, il-  
lam malo Sapienciam, *cujus quod stultum est, Sa-* 1. Cor. 1. 25.  
*pientius est omnibus hominibus mundanis.* Potius  
est mihi *Improperium Christi omnibus divitiis Ægy-* Hebr. 11. 26.  
*pti.* Hæc est vera Sapiencia, quæ per stultitiam  
exsufflat mundi jactantiam, evacuat vanitatem.  
Hæc est vera Sapiencia, quæ etiam in stultitiâ sa-  
pit, quæ stultitiâ sapienter utitur, *cujus Stulti-*  
*tia, sapientior est omni Sapienciâ.*

In hoc Æterna Sapiencia suam maximè ma-  
nifestavit Sapienciam, & in hoc suam cum Mundi  
Sapiencia pugnandi declaravit peritiam, quod ut  
Sapienciam mundi stultam, imò stultitiam puram  
& veram, esse ostenderet, atque convinceret,  
stultam se videri voluit & permisit. Sicque per  
inductam sibi speciem stultitiæ, omnem de-  
traxit mundo vanæ suæ quam jactabat speciem  
Sapienciæ: ostenditque omnibus ministris suis,  
quomodo mundi Sapienciam eludere, & eva-  
cuare deberent, & qua via ad veram Sapienciam  
pergere, illamque à fucata dignoscere possent.

16.

*O Sapiencia Æterna, stultum me fac & infir-*  
*mum, ut sapientior & fortior evadam omni Sapien-*  
*tiâ Mundi hujus: omnemque ejus veteratoriam va-*  
*nitatem, & in me, & in aliis evacuare, per Virtu-*  
*tem Sapiencis stultitiæ, prævaleam.*

CAPUT.

## CAPUT VI.

*Æterna Sapientia ex Arbitrio Sapientia  
querenda.*

37. **S**apientia querenda est: quoniam prostitutam illam esse non decet; querenda autem est sapienter; alioqui stultè Sapientiam querens, quis reperiat? quod si sapienter Sapientia querenda est, mentem igitur Sapientiæ prius nôrit oportet & teneat, qui Sapientiam ipsam occupare desiderat. Sed si hoc ita est, si juxta mentem Sapientiæ Sapientia querenda est, prius igitur Sapientia habenda quàm invenienda est. Cæterum in hoc nullum absurdum est; nam & lux sine luce videri non potest, sed ad illam videndam, ipsius opus est visione. Sapientia verò lux est, & color omnium, sui que in primis ante alia omnia index, oculi Rationalis objectum & bonum. Et nimirum in iis quæ ad alia invenienda nata & instituta sunt, hoc peculiare est, ut sine semet ipsis ipsa quoque inveniri & obtineri non possint, ut modo in luce dictum est, & idem de Veritate, deque Deo inveniendi dici potest: Nam querere veritatem hoc ipsum Veritas est, & ad DEUM verè iri sine Deo duce non potest: dum queritur DEUS, cum Deo ipso queritur; Atqui Sapientia Veritas & DEUS est, igitur Sapientiâ sine seipsâ non habetur, & hoc ipsum de Sapientiâ scire, est Sapientia. Quare Sapientia per Sapientiam, hoc est, juxta arbitrium Sapientiæ querenda est. At enim hoc ipsum torquet animum, quid sit, juxta Sapientiæ arbitrium querere Sapientiam?

Ubi

Ubi sciendum occurrit, esse quàm plurimos qui Æternam Sapientiam quærunt, & invenire concupiscunt, sed quia hoc insipienter agunt, votorum suorum finem non assequuntur; Insipienter autem agunt in eo, quia non sic Sapientiam quærunt, prout illa quæri & inveniri vult, ac solet, & statuit, sed prout ipsis libitum est. Fingunt sibi Sapientiam in animo quam volunt, fingunt iter ad Sapientiam quod volunt, fingunt locum & Sedem Sapientiæ ubi volunt, euntque ad illam quâ & quò volunt, sed tamen minimè eò perveniunt quo volunt, quia ad Sapientiam nunquam perveniunt. Hi, si qui tales, sunt, scire debuerant neminem meliùs & sapientius viam ad Sapientiam instituere præscribereque potuisse, quàm ipsam Sapientiam; proinde ab illâ hoc primum discere debuerant, quanam viâ illa ad se homines pervenire statuerit, quod illa facillimè libentissimeque diceret, si quis ab illâ sincero id animo requireret. Sincero inquam, hoc est, ad credendum ad obediendum, statimque arripiendum parato.

Sed quæ hæc tandem est via Sapientiæ ad Sapientiam? Via ad Sapientiam ipsius Sapientiæ est, via Abnegationis, Mortificationis, Humiliationis sui, via Crucis, via Paupertatis, doloris contemptûs, via Abrenuntiationis omnibus rebus, & sibi, via nuditatis ab omni creatura, & eo quod inter hominem Deumque mediare posset, Via denique Stultitiæ & Imitationis JESU Christi Æternæ Sapientiæ. Quisquis Sapientiam vis, hâc ito, & invenies.

18.

19.

CAPUT

## CAPUT VII.

*Æterna Sapientia in omnibus æquè mira  
magna, & estimanda.*

20.  
Sap. II. 21.

**D**EI perfecta sunt opera, facta in pondere, numero & mensurâ, hoc est, ( ut alibi scriptum Spiritus Sanctus explicat, ) omnia in Sapientia statuta, & peracta. Quis est, qui aliquid in omnibus Sapientiæ operibus desiderabit, aut reprehendet? quod Sapientia fecit, hoc culpabit quispiam? Aliquid in Sapientiæ opere requirere, est à Sapientiâ factum negare. Ut semel quod sentio, & quod res est eloquar, tam mira mihi Sapientia est in minimis, quàm in maximis operibus. Imò nulla mihi sunt opera Sapientiæ majora, nulla minora aliis, sed æquè magna omnia, si ad Sapientiam, & non ad nostram comprehensionem apponantur. Nunquid enim sapientius est conditus Mundus, quam Atomus? Nunquid sapientis fecit DEUS Angelum quam folium? Hominem quam culicem? Cælum quam formicam? Nemo id nisi sensu diminutus dixerit: nihil est in Angelo quod addas, quod detrahas, quod emendes, nihil perinde quod corrigas in atomo aut folio; tam decenter piscis mutus, quàm vocalis avicula est; tam pulchrum est in Elephanto molem videre quàm gracilitatem in culice: tam illi ad molem suam quatuor sufficiunt pedes, quàm huic tanto ferè plures non redundant. Nonne tam gratè tarda est testudo, quàm jucundè velox lepisculus? Nunquid aquila decentius est constructa passerulo, non æquè pulchrè stupiditas in porco, quam vafrities in vulpe posita? Finis non erit si recenseam singula,

Unum

Unum tantum non præteribo hominem, in  
 cujus conditione Sapiaentia mirè negligentissima,  
 mirèque simul videtur diligentissima: adeo illum  
 condidit egenum omnium, ut de quovis alio  
 cogitasse potius interea quàm de illo videatur, &  
 tamen iterum adeo illum dato unico ingenio om-  
 nibus instruxit, ut non tantum necessaria pro-  
 vidisse, sed etiam jucunda, etiam voluptuosa, etiam  
 superflua, indulgisse dici possit. Homo uno in-  
 genio & solo, quantum Deus condidit, tantum  
 comprehendit, tantum scrutatus est, tantum com-  
 plevit. Nescias certè, artificiosiusne natura, an  
 naturalius ars ingenii operetur. Fulminat natura  
 in aère, ingenium in terrâ. Natura fecit garru-  
 los homines, ingenium verba dedit elinguibus  
 aviculis, Natura docuit terram pingere, ingenium  
 scribere: Fecit natura sonoras animantes volu-  
 crum & quadrupedum idque incluso intus Spiritu,  
 qui emitti & attrahi possit. Ingenium id non  
 vivis tantum, sed faxeis contulit bestiolarum si-  
 mulachris, immixtis aquarum intro decursibus.  
 Negavit natura iter in aquis, dedit ingenium.  
 Tempus natura mobili Cælo affixit, horasque  
 non tam distinxit quam confudit, Ingenium mo-  
 dicæ arenæ, paucis rotulis, addixit tempus, & ho-  
 ras sono loqui præcepit. Demum & solem tan-  
 tillo adstrinxit stylo, ad quem se exercans, um-  
 bram circumagat, & cursus sui horariis punctis  
 designet intervalla. Denique, in quo à naturâ  
 pene relicto homini, usque ad superfluitatem non  
 providit ingenium? Hic scilicet, Sapiaentiæ æternæ  
 ludus est, in minimis ostendere se maximam.

Non vacat opera attingere virtutis & morum;  
 gratiæ ordinem, & negotia Salutis nostræ;

21.

22.

V. P. Druzb. Op. VI.

B

prom-

promptius sanè sileo, quam obiter strictim loquor, quàm magna, quàm mirâ, hîc opera Sapientia? Salvat iustum, damnat impium, sapienter utrumque: eligit istum, reprobât illum, sapienter & hoc; tam multos perire sinit, tam paucos ad Vitam perducit, cum secus agere possit, si velit etiam hoc sapienter, sed occultè: certum hoc dubitatumque, optimè, ita pro hoc rerum statu convenientissimeque mundum regi, & salutem nostram disponi. Curat Deus salutem nostram curat perniciem dæmon, tantâ iste assiduitate tantâ ille incuriâ agere rem videntur, ut iste nihil aliud præter hoc, ille omnia alia præter hoc agere & curare videantur. Et tamen tam ubique providet electis suis Deus, nemo ut pereat ipsorum omnino, nemo tamen salvetur nolens. ita sapienter facit reprobis à se, nemo ut salvetur eorum periturus, & tamen nemo pereat nisi volens.

O Sapientia Aeterna consideravi opera tua & expavi, quoniam omnia in Sapientiâ tuâ fecisti. Benedictum sit nomen Majestatis tuæ in parvis justis & magnis operibus tuis, in aeternum & ultra; nam quid ampliùs obstrepam tibi & de te, nisi ut totum me tribuam submittamque tibi, & cernuus ac prostratus adorem te. Tibi honor in sæcula.

## CAPUT VIII.

*Aeterna Sapientia omnium Regina & Gubernatrix.*

23. **S**emper in omni gente Sapientia principatum tenet, & in manu ejus omnium jura fuere Regnum. Denique Rex Regum est, nec immerito. Natura enim illi Sapientia est, quod si Sapienter





miserit illud? cur illa fieri noluerit? cur non e-  
nerit hoc? cur illud non dilatatum ulterius?  
porrò dilatatum istud, cur ille hoc in statu, cur  
exaltatus, cur dejectus, cur neglectus, cur ditatus,  
cur lapsus, cur afflicus, cur eò deductus, cur  
avulsus inde, cur tam diu, cur tam citò, cur  
ægrè & tarde? &c. omnium horum reddat

*Sap. 12. 18.* tionem tibi illa, cui *subest omnia posse*: cui tu, fili-  
pis, dicere debes; *Fiat adoranda Voluntas tua*.

*Matt. 6. 10.* *Adveniat regnum tuum?* ô homo apprehende  
disciplinam, & venerare supplex Sapienciam.

25.

Usque adeo proprium est Sapienciam domi-  
nari & regere, ut nec velit si possit, nec possit  
velit cedere jure suo, hoc est, regno suo; etiam  
quando subesse, quando servire videtur, præ-  
& regnat. nemo enim Dominus Sapienciam  
potest, nisi quem illa esse jusserit, & nemo  
esse potest, quemcunque illa jusserit: hoc enim  
ipsum illa imperare potest, ut illi quis imperare  
possit. Unde Mater illa magna Sapienciam in car-  
nate in hoc ipso obedivit Sapienciam, in quo sibi  
ditæ præfuit & imperavit Sapienciam. & Petrus  
penè jam partem in regno Sapienciam æternam  
amiserat, propter hoc solum quia servire sibi &  
ministrare volenti Sapienciam, minus promptè, qua-  
vis incautè consenserat. Usque ad eò semper  
Sapienciam servendum est. Servire te sibi vult  
obedi illi. imperare te etiam sibi vult? obedi-  
nam & imperando servies, quoniam ex ejus  
perio imperabis.

*Joan. 15. 6.*

O Sapiencia æterna, *adveniat regnum tuum*  
& fiat in me, de me, per me, Sacrosancta & Adoranda  
Voluntas tua, nunc & in æternum, Amen.

CAPU

## CAPUT IX.

*Aeterna Sapientia Quid sit?*

**E**Terna Sapientia quid sit? quæritur: imo  
quærendum potius, quid non sit?

26.

1. O Sapientia æterna, quid non es? Veritas  
est delectabilis, & delectatio verax, quam non car-  
nis sensus, nec carnalis percipit ratio, sed purifica-  
tus per fidem mentis oculus, concupiscit, conspi-  
cit, percipit, & possidet, deque ea delectatur, &  
gaudetur.

2. Est Sapientia innubis rerum conformitas,  
& rectitudo nuda.

3. Sapientia est suavis efficacia, & suavitas effi-  
cax, unde & omnibus mobilibus mobilior est. at-  
tingitque ubique propter suam munditiam, puri-  
tatem & simplicitatem: non enim potest aliunde  
excludi, quæ medium non patitur, sed intimè o-  
mnibus inest seseque insinuat penitus, tanquam  
spiritus mundus & subtilis, idemque unicus si-  
& Petrus simul & multiplex, illi nemo restitit aut resistit un-  
quam, quoniam etiam dum illius consilio repu-  
gnatur, Voluntati ejus obsecundatur, & in ipsâ  
reversione consilii sui, stat decretum ejus, hoc  
quippe consilium ejus est, ut repugnetur defini-  
tioni ejus: nec usquam acutiùs se esse Sapientiam  
demonstrat, quàm ubi quod fieri ipsa vult, impe-  
diri ne fiat finit, & nihilominus ipsum Consilium sui  
impedimentum facit, aut consilium suum, aut  
consilii instrumentum. Annon Sapientia Jose-  
phum justum, à fratribus (ne præesset illis) vendi-  
tum, per ipsam venditionem illam, ad eminentem,  
qui timebatur & cavebatur, super Fratres suos

B 3

evexit

evexit Dominatum? nonne nesciens invidia  
 ipsum, quod ne fieret curabat, curando, ut fieri  
 faciebat? Moses, à suâ Matre educatus iussu  
 Pharaonis, data etiam mercede. Atque hoc  
 ipsum Sapia ordinarat, ut per ipsam turba-  
 tionem Voluntatis suæ, Voluntas eadem imple-  
 retur. Adeo nimirum non investigabiles sunt  
 Viæ Sapientiæ.

4. Est Sapia aurum, sed non aureum  
 Lux, sed non lucens oculis carnis.

5. Est tota oculus, aut potius tota aspectus  
 aut intuitus perennis, atque intimus, & penetrans  
 trans ad ipsas abyssi & latebrarum medullas, nunquam  
 quam connivens, nunquam averfus, abstractus  
 vé ad alia, nunquam confusus per alia, prævertens  
 iste intuitus Sapientiæ ipsam cordis Sapien-  
 tiam quiescere non finit, donec redeat cum  
 ritate in gratiam.

6. Sapia est vigor, vegetatio, vita remota  
 rum omnium, omnes cujusque rei venas medullas  
 lasque pererrans, vegetans, vivificans, movens  
 omnia sine suo motu, mutans alia, & non ipsam  
 se, se cunctis accommodans omnia sibi facit  
 milia.

7. Est Sapia rerum sapor universarum  
 quem res omnes quantum gustant, tantum  
 Saporis habent, qui que solus in rebus gustari  
 bet, extra quem nullus gustus in rebus haberi  
 bet, nec potest, insuper Sapia mensura  
 quam juxta gustari res debent & placere.

8. Est Sapia rerum thesaurus, & opus  
 sentia universa, quam si perdant, nihil illis  
 perit, si habeant ditius nihil, tunc autem

23.

Sapien-

Sapientia thesaurum in se non habent, quando nec seipsas, nec alias sapienter habent, amant, quærunt, hoc est, quando propter quidlibet aliud potius, quàm ob Sapientiam æstimantur: Sapientia enim bonitas rerum est, si ergo ob Sapientiam non habentur, nec propter bonitatem habebuntur, habebuntur ergo & quærantur ob malitiam, quæ miseria est, & paupertas extrema, nisi quis ambigat Sapientiam bonitatem esse: ut quis nescit Bonum, Vero convenienti, & perfecto coæquari atque componi? Quid autem verum, perfectum, conveniens, nisi Sapientia? Bonitas igitur Sapientia, proinde in rerum thesauris quærendus est Sapientia thesaurus, quia ipse bonitas est: quidquid aliud in rebus appetis, Potentiam, Voluptatem, Dignitatem, Securitatem, similia! sine Sapientiâ scelus sunt, Vanitas sunt, miseria sunt.

9. Est Sapientia uber, mammilla, lac, alimentum, sanguis rerum omnium. Illa genuit, illa peperit, illa nutrita est toti universitati reformationum. Etiam Divinitatis Sapientia Nutrix est, quantum magis omnium quæ à Divinitate profluunt, uterunt? omnes res quotquot sumus, Sapientia infantibus, nutriti, alumni sumus. O felices infantulos, suam si matrem & nutricem nôrint! quantum sapiant, ut benè sibi esse apud hanc matrem sciant! Sed heu! Filii Sapientia passim degenerarunt, in insipientiam versi, planè ac si stultitia mater ipsorum foret. *Usque quo parvuli diligitis infantiam, & concupiscitis ea, quæ sunt vobis*

& opus venenosa? Heu ubi talium copia, ubi talis unus, illis patrum mundo nunc, qualis ille de quo narrat historia, *Erat sæpenumerò æternæ Sapientia* (B. Henricus

B 4

Suso)

29.

Prov. 1.21.

Suso) perinde, ut solet infanti ad Matris, ipsius  
suis ulnis complectentis, ubera pendenti, atque  
ejus gremio delitescenti &c.

O anima mea nunquam sinum & gremium Ma-  
tricius hujus suavissimæ deseras, nunquam Mammi-  
lam istam Patris æterni negliges.

## C A P U T X.

*Æterna Sapientia quid iterum sit & qualis.*

30.

**B**Eato Henrico Susoni Æternæ Sapientie amo-  
re magno, & videndæ desiderio ingenti fla-  
granti, atque Sponsalia ejus nuptiasque ambi-  
enti, talem sese ipsa Sapientia æterna videndam se-  
mel tantum in vitâ, hâc formâ quæ sequitur ex-  
hibuit, (*Longè supra ipsum ferebatur in Columna  
nubis, residens in throno eburneo, micans instar Lu-  
ciferi, & tanquam Sol in Virtute sua. Corona ejus  
erat eternitas, Amictus fecilitas. Sermo suavitas,  
Complexus omnis boni satietas; prope erat & longè  
aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta, fa-  
miliarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat.  
Excelsis cæli fastigiis erat altior, & abysso profun-  
dior: attingebat à fine usque ad finem fortiter, &  
disponebat omnia suaviter.*) Qui potest capere ca-  
piat. Felix ille cui tantum sese Majestas illa æter-  
na ostentare dignata est. Nostrum quis ad hæc  
audienda, nedum ambienda idoneus?

31.

Quis capiet qualis Sponsa sit Sapientia æter-  
na? Est pulchra, sine colore. Est dives, cum  
sit nudissima. Est mira, & tamen summè sim-  
plex. Est verax, sed occulta. Est incompre-  
hensibilis omnia comprehendens, & ubique ta-  
men suo modo comprehensa, quantum scilicet  
com-

comprehendi, & communicare se voluit. Est latens & tamen apparens, imò omnibus in viis, & in capitibus platearum ultrò occurrens. Illa docet omnia, ducit omnia, regit omnia, portat omnia, format & firmat omnia. Est omnium pondus & valor. Est centrum omnium & circumferentia. Est finis, & origo, & regula, & forma seu decor, atque species omnium.

O quis mihi det expansum habere in immensum eordis mei sinum, & apprehendam, & amplectar te, Aeterna Sapiencia, fruarque beatissimis, purissimis aspectibus & amplexibus tuis in omni loco, in omni statu, in omni conditione, in omni momento, vite, mortis, tristitia, gaudii, solatii & Crucis in aeternum & ultra?

# CAPUT XI.

*Aeterna Sapiencia Sanctorum ad omnia materies.*

32.

**O**Mnibus quidem Sapiencia sese communicat liberaliter, ita ut non sit qui se abscondat à calore ejus, attamen Sanctis omnibus communicat se libentius, frequentius, liberalius, nec alia illi causa, nisi quia Sancti sunt, & quidem Sancti ejus, quos scilicet illa sibi secundum gustum suum Sanctos facit: neque enim quisquam sine Sapiencia sanctus est: non est quisquam nisi per Sapienciam sanctus; namque Sapiencia sanctitas est: sicut omne peccatum & malitia errori atque stultitia imputatur: omnis enim peccans ignorans, qui ergo sanctus, idem sapiens est, tantumque sanctus est quantum sapit. Nam quid est sanctitas nisi affectio sancta, tecta, ordinata,

B § pura,

pura, constans, rationalis, sublimis, honesta? que est autem vel unde talis affectio, nisi à sapientiâ? Sapientia est radix, mater, & vita sanctitatis omnium sanctorum. Nemo sanctus qui non cum Sapientiâ moratur, nemo qui cum Sapientiâ moratur non sanctus, ut illos qui in luce versantur illuminari necesse est, ita qui sapientiæ adherent, necesse est sapientes, hoc est, sanctos reddi. O quam Beati sunt servi tui Æterna Sapientia, qui in domo tuâ sunt & ministrant coram te semper? Tu es enim quæ illorum Vitam beatam facis, quid illis desit, qui cum Sapientia sunt? providet ille (si sapientia est) ne desit boni aliquid illis, qui cum omnibono morantur.

Sapientia Sanctis suis suggerit, negotiosi otii, & sanctæ occupationis materiem, nec illam aliunde adfert ipsis, sed in seipsâ ostendit. Et quanta seges actionis est morantibus cum Sapientia? Activa est, imò Actus purus, nulli permistus potentia, Actus est Sapientia, qui non fit ab aliquo, sed ipse facit omnia. Non est otium in Domo Sapientiæ, apud quam ipsa etiam otia labor sunt, sed labor omni quiete suavior. Nam labor Sapientiæ beatitudo est, & quid suavius quam beatum esse? Itaque Sapientia Sanctos suos occupat, & ita ut nulli alteri locum in eis relinquat: abripit illos & possidet, omnemque conatum, intentionem, affectionem, potentiam illorum sibi vendicat. Si vivere, agere est; Sapientia est Sanctorum Vita, non enim vivunt si Sapientes non sunt; nam insipientia mors est, si scire ac intelligere, est agere; id verò vel maxime Sapientiæ donum est: illa enim est doctrix disciplinæ Dei, scit præterita & de futuris æstimat, scit

scit verutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum ac sæculorum.

In Sapientiâ Sancti inveniunt quod mirentur, imo nihil inveniunt quod non mirentur, quippe occultus est Spiritus ejus, & de operibus ejus non est opinio. Sed evincunt expectationem consilia ipsius & spem. O quàm admirabilia sunt Domine opera tua Virtutum, in eis anima mea cognoscat nimis. Quomodo cognoscat nimis? ita nempe: quia hoc tantum in operibus tuis cognoscat, quod ea cognoscere non possit. Sed quantumlibet cognoverit atque penetraverit, tantò plura infinites non esse cognita, nec à se cognoscibilia deprehendet. Nimis ergo cognoscat, quia nunquam satis cognoscat, sed id tantum cognoscat, quod adhuc amplius cognoscere possit. Quis cognoscat opera Sapientie in Creatione? Quis cognoscat opus Redemptionis nostræ? quis cognoscat modum ejus quem adhibet in gubernatione animarum nostrarum? quis verò cognoscat sensum ejus in nostrâ Prædestinatione, & Reprobatione? quis cognoscat providentiam ejus adeo Universalem, adeo particularem ac minatam simul, ut sic curet omnia ac si neminem, sic quem libet, ac si illum solum, oblita reliquorum curet? quis cognoscat artificium ejus in conditione, & dispositione ac conversatione rerum, in quibus nihil deficit, nihil redundat, sed omnis naturæ exigentia abundè expleta est, & in necessariis, & inopportunis, & in deliciis? Quis cognoscat divitias gloriæ ejus, beatitudinisque, quam præparavit, quam reservavit, quam distribuit iis qui diligunt eam,



eam, & ministrant ei, commoranturque cum eâ cunctis diebus? Hæc cogitans apud se & commemorans in corde suo aliquis, nonne ille copiosam habebit admirationis & stuporis vel pro tota æternitate materiam?

35.

Jam verò quantum est gaudium Sanctis in Sapiencia? Verè in amicitia illius delectatio bona: ô bona, quia non hujus sæculi stulti. bona, quia copiosa, abundans, magna. bona, quia frugifera, faciens eos qui eâ potiuntur bonos. parum dixi Bonos, facit laudabiles, seu potius laudatos, insuper etiam beatos. Quis beatus, nisi amicus Sapiencie? beati sunt qui eam viderunt, & in amicitia ejus decorati sunt. Neminem enim diligit Deus nisi qui cum Sapiencia habitat. Denique quid est Beatitudo Sanctorum, nisi Visio, fructio, possessio Sapiencie æternæ æterna?

*O Æterna Sapiencia, quis mihi det, ut constituas mihi tempus, in quo etiam recorderis mei, & annu-  
meres me servis tuis, nec reprobes à pueris tuis: quoniam tu es quæ per nationes in animas sanctas te transfers, & amicos Dei constituas. O quam Beatus ero, pulcherrima atque dignissima Sapiencia, quam super omnia amat, æstimat, concupiscit anima mea, quam beatus inquam ero, si tu quæ potes & operaris in omnibus omnia, feceris aut me materiam operationum tuarum, aut te materiam actionum mearum, ut in te Sapiencia faciam omnia, vivamque te solâ, & tibi soli per omnia.*

CAPUT

## CAPUT XII.

*Æternæ Sapientie itinera.*

36.

**Æ**Terna Sapientia omnium mobilium mobili-  
 or est, & cum sit una, omnia tamen po-  
 test, & permanens in se, omnia innovat? &  
 quiescens, semper progreditur, atque operatur  
 assidue. hoc enim ipsa de se testatur dum loqui-  
 tur; Pater meus usque modò operatur & ego  
 operor. Sed quis cognoscet semitas operatio-  
 num & progressionum ejus? Sapientia est, ita  
 redit, & nescis quò vadit, interdum venas susurri  
 ejus audit auris, interdum *palam loquitur* & nul- *Joan. 7. 26.*  
*lum proverbium dicit*: interdum in *sibilo auræ te-*  
*nuis* pertransit; interdum ascendit super Cheru- *3. Reg. 19. 12.*  
 bim, & volat super ventorum pennas: inter-  
 dum in plateis clamitat dicens; *Ecce adsum, Ve-* *Eccl. 23. 26.*  
*nite qui concupiscitis me, & de generationibus meis*  
*adimpleamini*: interdum autem vix, ac ne vix  
 quidem *trahitur, de occultis: deque ultimis terræ* *Job. 28. 18.*  
*finibus pretium ejus.* Quis ergo investigabit funi- *Prov. 31. 10.*  
 culum ejus? Hoc scio quod *emissiones ejus egres-* *Cant. 4. 13.*  
*siones Paradysi, sumentes exordium à diebus æter-*  
*nis.* Hoc scio quod *via ejus, via pulchra sint,* & *Prov. 3. 17.*  
*semite ejus pacificæ,* sed & illud novi, quod *Qua-* *Habac. 3. 8.*  
*drigæ ejus salvatio.*

1. Est iter Sapientie æternæ ex Patre, sed  
 non extra Patrem, ex cujus utero ante Lucife-  
 rum nata, nascitur etiam nunc, sed ita ut in sinu  
 ejus requiescat, *ponens tenebras latibulum suum,*  
 manens ipsa Dilecto suo Patri, & ad se habens  
 conversionem ejus.

37.

2. Est

2. Est etiam iter Sapientiae unum & idem cum itinere Patris & internum, & tamen externum, quod habent ad producendum Spiritum Sanctum, Via mirabilis non minus omnino quam praecedens, in qua Pater cum Filio per Filium spirat Spiritum sanctum, & sunt idem nihilominus cum ipso, neque tamen iidem cum ipso.

3. Est quoque iter Sapientiae Aeternae à Deo ad nos, hoc est extra Deum. quippe in Principio Deus creavit Caelum & terram, Principium Sapientia est, sine qua Deus nihil fecit, alioqui temerè fecit, & scriptum est, *omnia per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Joan. 1. 2.

38.

4. Est etiam iter Sapientiae aeternae à DEO inter nos propter nos, juxta quod canit illi Ecclesia, quod Dei Filius propter nos, & propter nostram salutem descenderit de caelis, homoque factus sit! De hoc suo itinere ipsamet illa Incarnata jam Sapientia dicebat? Ego ex Deo processi, & veni in mundum, ut salvetur mundus per me. ô quam beati oculi Domine JESU qui te viderunt, aures quae te audierunt, & quorum manus contrectaverunt te, cum quibus tu convixisti, tantò intimiùs, quantò familiariùs. Quis dedisset mihi adventum tuum in carne videre, tibi que ministrare, quem multi, Reges & Prophetae desideraverunt & non obtinuerunt. Hoc iter tuum Domine JESU, Sapientia aeterna mirabile, & amabile, & salubre, nobis est per omnem modum, sive illius exordia, sive media, sive extrema perpendantur. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus, qualiter illa Majestas praevenerit nos, venerit ad nos,*  
sub-

Psal. 105. 2.

subvenerit nobis? quale iter ejus in Virginem, qualis processus à Virgine, qualis cursus in Vitâ, qualis exitus de vitâ, qualis reditus à morte, qualis abitus è mundo, ascensus in Cælos?

5. Jam verò quis enarrabit illud iter Sapien-  
tiæ æternæ, illud quàm inenarrabile, illud sua-  
vissimum, illud gustabile, illud palpabile? Sa-  
cramentum est, & quis cognoscet illud? O sua-  
vitas, ô dulcedo! Deus cibus est, Deus potus  
est; cibus hominis, potus hominis, spiritua-  
liter carnalis, carnaliter spiritualis.

6. Illud verò iter tuum fileamné Sapia-  
entia, iter inquam gratiæ, quo venis ad nos, re-  
concilians te nobis, & nos tibi, dans veniam,  
exhibens misericordiam, admittens etiam ad  
Amicitiam; iter hoc dixerim, an itinera, & vias,  
quorum non est finis, non est numerus? nam  
quis novit multipliciter, potestatemque gra-  
tiæ tuæ? quis comprehendit, quàm variis, quàm  
miris modis venias tu ad nos, & ad te deducis  
nos ô Sapiaentia; quàm sæpè nolentes trahis ut  
velint, volentibus prior das ut velint, quàm sæpè  
abjiciendo accipis, repellendo assumis, negligendo  
curas, vulnerando sanas, occidendo vivifi-  
cas; quàm sæpè dum exis intras, dum abes ades,  
dum punis parcis, dum jugo solvis, sub jugum  
mittis & captivas? Omnis res, omnis occasio,  
omnis hora, ostium tibi est, & materia ad bene-  
faciendum nobis, ad sanctificandos & salvandos  
nos. O Gratia, quantum bonum, quantum  
miraculum, quantus thesaurus es? Meremur  
te, & donaris nobis: donaris, & tamen tanquam  
nostrum esses meritum, in nobis coronaris.  
Scilicet sic placuit Sapiaentia curfitare, & lufitare

in orbe terrarum ! Beatus qui hos ejus ludos novit, ambit, quærit, meretur, patitur. Utinam & mihi contingat ludum ejus subire, sentire, esse.

40.

Psal. 31. 10.

7. Superest autem iter adhuc Sapientiæ æternæ unum fine, sed multiplex varietate ! Finis ejus Punitio est ; Multiplicitas autem Punitiois varietas : *Multa enim flagella peccatoris, adeò ut derelinquentibus Deum, derelictisque à DEO, omnia cooperentur in malum, etiam bona opera ipsa, etiam ipsa Dei beneficia.* Certe enim

Matt. 11. 23.

Rom. 6. 13.

Sap. 1. 5.

*non sine causâ dictum quibusdam est : Tu Capharnaum, nunquid usque in Cælum exaltaberis, usque in infernum descendes.* Et illud ; *Peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem* &c. Est ergo via Sapientiæ, quâ recedit à nobis, deseritque nos : juxta illud ; *Spiritus Sapientiæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.*

41.

Deut. 32. 22.

Psal. 74. 9.

Psal. 89. 11.

8. Et est etiam Via Sapientiæ qua venit contra nos, indutâ pro thorace justitiam, acutum habens ut fulgur gladium suum. Heu me quis effugiet à facie gladii columbæ ? dura est nimis indignatio ejus, & non est qui resistat illi. *Ignis accensus est in furore ejus, & ardebit usque ad inferni novissima. Calix in manu Domini plenus non mero, non misto, sed fæce, ex eo bibent omnes peccatores terræ. Quis novit potestatem iræ tuæ Domine, aut effugere illam quis poterit ? ille scilicet quem tu erudieris Domine, & in lege tuâ docueris eum. Ille qui cum Sapientiâ pepigit fœdus, & factus est amicus Intelligentiæ. Hanc enim qui invenerit inveniet Vitam, & hauriet salutem à Domino, qui autem peccaverint in*

ipsam

ipsam lædent animam suam. Omnes enim qui oderunt Sapientiam diligunt mortem.

*Dilige anima mea Æternam Sapientiam, & ipsa diliget te in æternum.*

## C A P U T XIII.

*Ad Æternam Sapientiam itinera.*

42.

Vidimus Sapientiæ vias, videamus & ad Sapientiam: non tantum enim illa venit ad nos sed nobis etiam eundem est ad ipsam. estque id ipsum magna portio Sapientiæ, scire venire ad ipsam. I. Nec enim venit ad Sapientiam absque Sapientiâ, nam quæ conventio luci ad tenebras? Atque hæc prima est ad Sapientiam æternam via, vocari ad eam, ejus ipsius gratiâ: *nemo enim inquit, venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* *Joan. 6. 44.* Et alibi; *Non vos me elegistis, sed ego eligi vos.* *Joan. 15. 16.* Itaque *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sed ocyùs dicite; Adsumus, & te quocunque ieris sequemur.* *Psal. 94. 8.* Magnus hic ad Sapientiam passus, promptam dare aurem vocanti, nec in vacuum gratiam ejus accipere: qui enim accipit in vacuum, accipit in scandalum. *Væ autem mundo à scandalis, & væ homini per quem scandalum venit: quomodo enim stupa ad odorem ignis, ita homo ad transitum scandaliperit.* *Matt. 18. 7.*

43.

2. Jam verò si audisti vocantem Sapientiam, sequere & age pænitentiam, nec itera vias tuas amplius. Hunc ordinem viarum, ipsamet nos docuit Sapientia; *Pænitentiam agite, inquit, appropinquavit enim regnum celorum.* *Matt. 3. 2.* Pænitentia est reconciliationis internuntia, Veritatis filia,

V.P. Druzb. Op. VI.

G

humi-

humilitatis esca, redintegratio Charitatis, medicina læsæ sanitatis, hoc est, amicitia; denique recuperatio iustitiæ & Gratiæ.

44.

3. Porrò hinc ulteriùs pergendum est, & pœnitentiam & lachrymas, sudori atque labori insistendum, ne satis quis putet venena ejectione scelerum, etiam fibræ vitiorum, pravaruque consuetudinum evellendæ sunt, & insuper etiam semina & plantulæ Virtutum sanctarum sunt inserendæ: Non sufficit purgare domum Regni venturo, etiam ornes quàm cultissimè est necesse. *Sapientia in Concilio habitat, & eruditè interesse gaudet cogitationibus.* Estque Spiritus ejus mundus, amans bonum, qui nihil vetet benefacere, omnem habens Virtutem, incoquinatus, sanctus, & attingens ubique propter suam munditiam: nullus omnino illam in humanis mentibus delectat ornatus æque, quam ille qui sit, ex ejus similitudine morum, per imitationem expressus: ideo enim Sapientia incarnari, videri, palpari voluit, ut visibiliter visibilia amanti homini, transfiguraret in se, qualem vellet hominem fieri propter se, tunc ait; *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci & vos similiter faciatis.* Vixi humilis, pauper, patiens, obediens, in summo dolore, contemptu, nuditate, in perpetuâ cruce, semper mundum contemnendo, & à mundo contempta, in vigiliis, in jejuniis, in orationibus: & hæc omnia ideo, ut etiam vos iisdem cogitationibus, armaremini, iisdem virtutibus instruere mini, & digni amicitia meâ efficeremini.

Prov. 8. 12.

Joan. 13. 15.

45.

4. Hæc enim similitudo conciliabit, favorem atque amorem, ac tandem deducet ad familiaritatem,

tatem, quâ qui digni inventi sunt potiri cum Sapientiâ, iidem participes facti sunt amicitiae Dei: non enim potest longè esse Deus ab amicis, & familiaribus Sapientiæ, ut quæ sit domestica Dei valde, & habens potestatem omnem conferendi hominibus, ut possint Filii Dei fieri. Unde factum est ut per Sapientiam sanati, sanctificatique sint omnes ii, quicumque placuerunt Domino à principio. Cæterùm etsi hæ viæ rectæ sint, & extra has non sunt aliæ, tamen quia non unus est illas decurrendi modus, ideo non idem etiam est omnium, per has vias incedentium status, pervenientiumque ad Sapiëntiam.

5. Invenies qui ita Sapiëntiam amant, ut amant propter illam, etiam se, etiam alia, quamvis propter illam.

6. Invenies, qui propter Sapiëntiam abjecerunt quidem fortè omnia sua, sed non etiam semetipsos.

7. Invenies denique qui ita ad Sapiëntiam solam contendunt soli, ut (quantum fieri potest in viâ) relinquunt omnia, etiam semetipsos, contendantque se sine se ad Sapiëntiam adferre, & solâ, unicâque Sapiëntiâ potiri, parati, imò assueti semetipsos propter illam exuere. Hi sunt autem qui resignato fervore, & ferventi resignatione se sibi quasi eripiunt, & propter Possessionem Sapiëntiæ immediatam, sine omni medio ad illam festinant, omni ratione sensum exuunt, mentem denudant, & solis Sapiëntiæ obtutibus illam puritate apparant & exornant. Hi sunt stulti propter Christum, nullius rei Potentes & Possessores ex se, omnia apud Deum mendicantes



tes & habentes, Gratia infantes & lactentes  
 vinæ Voluntatis Sponsi, Dei mancipia, omnia  
 propriæ providentiæ expertes, omnium rerum  
 curam in Dei providentiam projicientes, olores  
 & hostes omnis belluinæ sensualitatis; victores  
 & supergressores, etiam Naturalis Rationis, ze-  
 latores fidei, & spiritûs, & gratiæ, doctrinæque  
 Christi, toti semper Spiritu vivunt, ita ut sensua-  
 liter & rationalia agant non tamen sensualiter,  
 sed neque tantum rationaliter, verum etiam  
 spiritualiter, & quidem heroicè & intensè. Hi  
 sunt qui nihil esse omnia agnoscunt & sciunt,  
 nihili omnia secum faciunt, solum autem Deum  
 esse Totum recognoscunt; quibus nulla agen-  
 di ratio extranea & creata est, sed solus De-  
 us: qui ex quâ ratione primùm sunt, ex  
 eâdem omnia operantur naturæ opera &  
 sensuum, scilicet ex DEO, ita ut omnia bo-  
 na ex ipsis sine ipsis proficiantur: qui in  
 externis sensibus modesti, in internis otiosi &  
 quieti sunt. quibus ad nullam rem Amor adha-  
 sit, utpote certis, omnia esse nihil, & vana,  
 imò vanitatem: qui neminem vincere viribus, &  
 verbis, & rationibus volunt pugnaciter, ac sine  
 causâ, sed etiam amicè se erga omnes gerunt,  
 quos ex adversò habent, certi eos esse instru-  
 menta Dei, quibus illos Deus extra semetipsum  
 suamque proprietatem exturbat, & ad Spiritus  
 nuditatem deducit, & sibi immediatè unire, ad  
 sui fructum puram inducere molitur. Hi  
 qui talia agunt, ad Sapientiam non eunt sed evol-  
 vant. Utinam incedat Anima mea itinere isto-  
 rum, & fiant novissima mea etiam horum simi-  
 lia: talis enim anima videbit in novissimis, dele-  
 etabitur

Et habitur in Domino, qui dabit illi petitiones cordis ejus.

*O Æterna Sapientia fac me te amare, ad te ire, tibi perire, & ad te pulcherrimam, suavissimam, dignissimamque pervenire.*

## C A P U T XIV.

*Mater Æternæ Sapientia MARIA, est peculiaris ad Æternam Sapientiam via.*

**H**OC dubium esse puto memini? nisi qui MARIAM Matrem esse Æternæ Sapientia non novit, aut non credit. Si enim Matrem scit, viam esse fatetur. Nam quod naturalius, certius, compendiosius ad Filium iter, quam Mater? MARIA per omnibus novit ingressiones & egressiones Sapientia, utpote quas corporaliter in semetipsâ experta est, tantò singulariùs, quanto mirabiliùs, nisi quis cogitet, MARIAM nosse quidem, & esse viam Sapientia, sed tantùm sibi, non autem etiam nobis. Sed hoc de Sapientia Matre cogitare, nefas est, si Mater Sapientia est. Novit enim Sapientiam sibi quidem venisse sed non soli, verum etiam nobis, scit itaque, Sapientia itinera, tam ad se, quam ad nos, quippe quæ novit Sapientiam per se venisse ad nos. MARIA est rationalis aquæ ductus, qui fontem illum Cælestem per sese ad nos delabentem sensit, scivit, & meminit. Peculiaris hæc certè via, quia post æternum Patrem, nulla aqua naturalis ad Sapientiam. Nulla ita certo, ita proprio, ita suo jure ad illius latibula, & adyta penetrat. Quid enim Matri apud Filium clausum?

46.

C 3

Deni-

47.

Denique quis dubitet tutissimam certissimamque hanc esse viam ad Sapientiam, quâ ipsa Sapientia ad nos venire dignata est? quamque ipsa sibi Sapientia hos solos in usus præelegit, & sanctificavit, adeo singulariter, ut nulli alteri per eam, sic intrandi concesserit, sed soli, & uni soli reservarit facultatem? Quâ igitur via descendit ad nos Sapientiâ, hâc nobis ascendendum est ad Sapientiam. An fortè experimentum querimus hujus quam dicimus Veritatis? Equidem nemo unquam hæctenus accessit ad Christum nisi per MARIAM? aut si secus est, prodeus quisquis ille est, & hoc de se enuntiet. Nihil quidem certum, tam vecordem esse neminem, nec fore. Ut enim non intratur in Domum nisi per januam, ita non pervenitur ad Æternam Sapientiam, nisi per Matrem ejus MARIAM: hæc enim est vena Vitæ, derivatio Gratia, salutis anchora, arrha misericordia, Via simulque sedes, & Mater Sapientia. Ad MARIAM igitur currat, quisquis certò & citò ad Æternam Sapientiam penetrare festinat: nemo intimior nemo familiarior Sapientia, quam MARIA, nemo propinquior quàm Mater. Matri ergo jungatur, qui Filio vult propinquare, adhæreat MARIÆ, qui vult conjungi Sapientia.

*O quis det? ut per te accessum habeamus ad Filium o Pretiosissima Parens, Sapientia. Sine te qui ad Sapientiam vadit, errat; qui appropinquat, recedit; qui apprehendit, amittit. Tu mihi o Mater sis via ad Filium, quæ es via ad me Filio. Tua manus me ducat, me tradat, me jungat, Æternæ Sapientia in Æternum, & ultra. Amen.*

CAPUT

CAPUT XV.

*Æterna Sapientia quid requirat à pervenientibus ad se? & quid eos in suo Magisterio doceat?*

Jam Sapientiæ Æternæ itinera exploravimus, quibus illa ad nos, quibus nos ad illam pergamus, solum jam superest ire atque pervenire. Ut eamus, conatu opus est; ut verò etiam perveniamus, perseverantia desideratur. at enim ubi pervenerimus ad Sapientiam, ecquid agemus? quomodo nos cum illâ geremus? Sapienter sine dubio cum illâ, & apud illam agendum erit: Beatus enim qui cum Sapientiâ morabitur: Sed quis est hic? arte omnino opus est. Et verum quidem est, hanc artem non nisi à Sapientiâ ipsâ doceri, verum quoque est, eum quem Sapientia conspectu & congressu suo dignatur, ab eadem Sapientiâ instrui, quomodo cum illa morari & versari debeat. Cæterum tamen non obest perrecturis ad illam, prius discere ab illa quomodo commoraturi sint, apud illam.

Sapientia ergo omnibus quos ad suum convictum admittit, duo potissimum requirit. 1. Animum discendi & dediscendi cupidum. 2. Appetitum gustandi fruendique Sapientia famelicum. Quia enim Sapientiæ proprium est erudire, & sapere seu saporem immittere, si quis veniat ad ipsam, doceri nolens, gustare abnuens, morari cum illâ diu non potest, sed reprobari ipsum ab illa, ejicique necesse est, quod omnium est miserrimum: siquidem melius erat Viam Veritatis non agnoscere, quàm post agnitionem

C 4

ipsum

48.

49.

*La. 9. 62.*

ipſius retrò converti, nemo enim mittens manum  
ad aratrum, & reſpiens retro, aptus eſt Regno Dei  
ſed eſt ſicut ſus lota, rediens ad volutabrum  
& ſicut canis revertens ad vomitum, quo nihil  
deſteſtabilius. Itaque ad Sapientiam qui pergit  
discere paratus ſit, qui verò ad illam pervenit  
diligenter quæ docetur diſcat.

50.

Ante omnia verò quæ Sapientia docet, de  
quæ Amator Sapientia apud illam diſcere debet.  
Eſt, *Noſce te ipſum*, debet inquam diſcere. Stultitiam,  
deſectuoſitatem, inopiam ſuam, quam  
habet ex ſemetipſo, eamque profiteri, velle per  
ſulto ineptoque haberi & exiſtimari. Nemo  
enim diſcit quidquam, niſi quod ignorare  
agnoscat, atque confitetur, ita ut Profeſſio  
propria ſtultitiæ atque ignorantia ſit primus gradus,  
prima inquam lectio Sapientia. Hanc ubi diſci-  
cerit & adamaverit in uſumque & familiaritatem  
ſibi adduxerit, tum diſcere debebit à Sapientia  
quid ſit Deus? ſeu, noſſe Deum. Quid ſit ipſemet  
ſibi? quid homini? quo dignus ille? quid om-  
nia apud illum, reſpectuque illius? & quod de  
rebus omnibus iudicium pretiumque illius? Hæc  
enim omnia potiſſimum Sapientia docet, de Deo,  
quia hæc maximè intereſt à Creaturâ ſciri de ipſo.  
DEUS eſt in ſe, & ſibi, id quod eſt; perfectus,  
& abundans ſibi in omnibus, & ad omnia, nul-  
lius egens. DEUS homini, & cuiſvis Creaturae,  
eſt omnia per omnia, ita ut ſine Deo ſit poſſitque  
nihil, ex Deo autem ſit poſſitque, & habeat om-  
nia, unde etiam illi debet omnia, ab ipſo emen-  
dicare & expectare debet omnia. DEUS dig-  
nus eſt omnibus bonis, quia ab illo ſunt omnia,  
ſine illo non ſunt omnia, ille omnibus confert  
omnia.

omnia, illi omnes debent omnia, ille est optimus perfectissimusque super omnia, atque ideo amandus, æstimandus, honorandus, colendus super omnia, omni ratione, quam meliorem sublimioremque possunt excogitare ingenia creata omnia. DEUS omnia partim ex seipsis partim ex seipso æstimat, deque illis judicat. Ex seipsis res apud DEUM omnes sunt nihil, & æstimantur, contemnunturque tanquam nihil; Et ideo omnis Substantia omnium nostrum, tanquam gutta aquæ quæ cadit de situlâ, *tanquam gutta roris antelucani*, tanquam nihilum, tanquam non sint ante Deum. Ex Deo autem ipso, tanta, & tanti quælibet res est, apud Deum, quantum habet ex Deo, hoc est, quantum se illi communicat Deus, tantum autem ille se communicat, quantum vult. Hinc nemo magnus est, nisi qui apud Deum magnus est, ille verò apud Deum magnus est, quem fecit ipse magnum. Hinc nulla res Creaturæ facit pretium, nisi illa quam Deus ad hoc instituit, ut conferre apta sit pretium. Talis est autem gratia Dei, & ideo nihil est pretiosius in Creaturis Gratiâ Dei; hæc enim sola facit pretiosam creaturam in conspectu Dei.

Sap. II. 23.

51.

Post hæc autem docet Sapiaentia quid sit Malum. Quod scilicet nihil sit malum nisi peccatum, peccatum verò illa docet esse nihil aliud, quam Voluntarium creaturæ à Deo recessum & contemptum, consequenterque extremam miseriam, & supremam stultitiam. Quid enim stultius, quam à Summo Bono, & à summo omnium quæ habeas habereque possis collatore, recessus? Quid nequius, quam contemnere illum, in cujus conspectu nihil sis, in cujus absolu-

C 5

tâ po-

tâ potestate totus quantusquantus es, positus scilicet. Quò enim jam ibit homo qui recessit à Deo? Omnia extrâ Deum sunt nihil, igitur privatus Deo & abjectus ab ipso, quocunque verterit se, inveniet purum nihil, à nihilo autem quid opus haberi potest, nisi nihil? Peccator qui postquam peccavit, nihil sibi quantum ex se est reliquit præter Nihil, quod quia voluntarie fecit, poena dignus est & ideo punitur. Quia verò redire ad Deum, bonum est, bonum autem omne ex Deo solo est, reditus iste ad Deum, voluntasque redeundi ad ipsum, sine Deo haberi non potest, sed ex dono Dei haberi debet, quod ille dare non tenetur; sed negare justè semper potest: & ita peccatum in Peccatore semper hærebit; quamdiu autem peccator in Peccato est, tamdiu supplicio dignus est, atque hæc est inter alias poenarum æternarum apud inferos Peccatoribus præparatarum ratio.

§2.

Cupiet aliquis scire, quomodo verum sit, omne peccatum, esse à Deo recessum aliquem? Id quidem certò certius, sed fortè nostris Intellectibus obscurius est: Quocircà etiam hoc Sapientia, Alumnos & amatores suos docet. Peccatum igitur Rectitudini opponitur: hoc enim peccatum vocamus, quod à debitâ Rectitudine recessisse videmus: Rectitudo autem ratio est, vel à Ratione procedit, & quidem à Ratione tali, quæ semper verò congruat, nec ab eo defleat, qualis est Divina quidem primo & Principaliter, deinde etiam aliæ huic inhærentes, sola enim Ratio Divina est, quæ à verò nunquam recedere potest, consequenterque semper recta est, & peccare non potest. Aliæ autem Rationes in

tan-

tantum rectæ sunt, in quantum cum Divinâ congruunt, & sic peccatum quidem in Deo esse non potest, quia Deus à suâ ipsius Ratione atque à Veritate nunquam recedit, sed in creaturâ esse potest culpa, quia potest esse recessus à Veritate & à Ratione rectâ. Et ulterius. Omne Peccatum à Recto deficit; deficiendo à Recto, deficit à verò, ab hoc autem deficiendo, deficit etiam à Deo, quia Deus Veritas est, Deus Rectitudo est, & quidem prima omnium Veritatum, omnium Rectitudinum, omnium Rationum. Hinc peccatum est semper contrà Rationem, est semper stultitia, est semper ignorantia, est semper malitia, semper turpitudine, semper mendacium, est semper difformitas, & recessus à Deo, conversio autem ad Falsum & ad non Ens, & ad Nihil, quod cum extremè opponatur Deo qui est Primum Ens, sequitur ut peccatum expressè & extremè opponatur Deo, & Peccator per peccatum directè recedat, longissimèque se abducat à DEO.

Unde fit etiam ut Peccator si à Peccato erui recedereque, ac ad Deum regredi velit, nullis id suis (ut ante dixi) viribus præstare possit, quoniam ne velle quidem ad Deum redire potest, sine dono Dei, non minùs quàm non potuit velle esse aliquid ex nihiloque educi, sine Dono DEI, hoc est sine creatione: eadem siquidem est in homine impotentia, ad habendum ex se aliquid, etiam minimum, sine Deo, qualis fuit ad habendum ex se, etiam totum se, sine eodem Deo; sicutque egebamus Deo ad hoc, ut esse inciperemus, ita semper egemus eodem, ut tales, vel tales esse possimus: tantumque ad hoc Deo non egemus



egemus ut mali firmus, sicut ad hoc Deo non egimus, ut nihil essemus; Sed sicut egimus ut ex nihilo aliquid fieremus; ita eodem egimus ut ex malis & peccatoribus boni esse incipiamus. Unde perinde dicimus Deo: *converte nos & convertemur ad te; sicut dicere deberemus: Crede nos Domine, & da nobis Esse, & erimus, habebimusque illud, & comparebimus coram te.* Nam sicut ipse fecit nos & non ipsi nos; ita quoque bonos ipse facit nos, & non ipsi nos. Quare sicut possumus nos quidem non esse sine Deo, sed esse sine ipso non possumus; ita possumus quidem mali esse & peccare, & à Deo recedere sine Deo, sed boni esse, bene agere, ad Deum redire, sine Dei dono non possumus. Et hoc est illud: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* In hunc ergo modum Sapientia docet quid sit peccatum, quantum malum, & quâ viâ ab illo recedendum atque exeundum.

*Osee 13.9.*

54.

Præter hoc autem docet, quomodo sit vivendum? hoc est, quomodo hanc vitam utendum? Docet enim hanc vitam æternam non esse, sed post istam, aliam æternam superesse, ex hac tamen omninò pendere, & hanc esse illius Præparationem, Dispositionem, Tyrocinium, hanc vitam esse veluti sementem, illam verò Messem futuram. Unde ait, *qui in carne seminat, de carne & metet corruptionem: Qui parce seminat, parce & metet. Qui autem seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam, quâ dicat.* Ex conditione & qualitate vitæ huius, pendet qualitas vitæ illius; quod seminatur hic, metetur illic, & quomodo spargitur hîc, colligetur illic; seminas spiritum? metes spiri-

*Gal. 6.8.*

spiritum : feminas carnem? metes carnem: & quia spiritualia æterna sunt, qui spiritualia seminavit, metet æterna, quia verò caro corruptibilis est, qui carnalia feminavit, hoc est, carnaliter vixit, metet carnalia, metet corruptionem, metet perditionem, & ideò in æternum peribit.

Rursum verò, si hic Spiritualia seminantur parçè, hoc est, si bona opera, exercentur, frigide, tepide, languide: si salus & merita, & Gratia Dei, curantur oscitanter ac segniter, parçè etiam metentur ista omnia in futuro; parvo enim & parco labori, parva & parca merces debetur ac dabitur, juxta illud: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eadem remetientur vobis*: Si verò hîc spiritualia seminantur in abundantia, in fervore, in quotidianâ Spiritus & conatus renovatione, in perpetuâ fame sitique amplioris & amplioris Justitiæ, in assiduâ meliorum charismatum æmulatione, etiam in futuro meisis erit abundans, & *mensura conferta, coagitata, & supereffluens dabitur in sinum* bonorum operariorum; Discamus ergo à Sapientiâ ut in hâc præsentî vitâ non agamus mala, agamus autem bona, & agamus in abundantia, quidquid potest operari manus nostra, instanter operetur, ut illi perenniter & abundanter retribuatur. Non ædificemus ligna, fœnum, stipulam; sed aurum, argentum, pretiosos lapides, supra fundamentum Fidei veritatisque coacervemus & ædificemus, ut in igne illo Judicii Divini, non inveniamur minus habentes, nec ponatur pars nostra cum hypocritis; sed cum bonis fidelibusque servis, jubeamur intrare in Gaudium Dômini.

Quapropter Sapiëntia docet insuper alumnos suos,

55.

*Matt. 7. 2.*

*Luc. 6. 36.*

56.

*Matth. 16. 26.*

suos, quis sit terrenorum atque presentium status, quod item caelestium atque futurorum pretium & pondus, ut suis utraque momentis aestiment & curent, utraque prout congruum est curent, & quantant, atque appetant, ut terrena atque presentia, transitura, peritura, sciant. proinde non se iis maculent, non gravent, non agglutinent, ne & ipsi transeant, pereantque cum ipsis: *Nam quid prodest homini, si universum hunc mundum* (cujus figura praeterit cum concupiscentia sua) *lucrerit, se vero ipsum perdat?* vicissim autem, ut Caelestia & aeterna, futura sciant esse, semperque mansura, proinde iis semper inhient, illa appetant, & conquirant, illis haereans, ut cum aeternis aeternent, cum semper stantibus consistent, semperque presentibus semper potiantur ac fruantur. Nam sicut qui labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur: ita qui semper stanti adharet, necesse est, ut cum stante subsistat.

57.

*Hebr. 9. 17.*

Tandem vero docet Sapientia alumnos suos, quomodo mori debeant? Nam cum *statutum sit omnibus hominibus mori*, sapientum est crebro recogitare istud *Mori*, crebro praevidere quomodo velint *Mori*? crebro & serio advertere quomodo se praeparare debeant ad bene *Mori*? Est enim *Mors* mala, imò *peffima* scilicet *peccatorum*. & est *Mors* bona atque *in conspectu Domini* pretiosa *Sanctorum* & *Iustorum*. Et cum res sit periculosissima *Mori*, utpote cum sit momentum è quo pendet Aeternum beata, vel aeternum misera Aeternitas, fit ut *Ars moriendi* sit valde utilis & valde difficilis: errare enim hic bis non datur: experiri mortem ante mortem non datur; hinc difficile est mori etiam iis, qui tota vita studuerunt quo-

quo-

quomodo deberent mori, & quantò difficiliùs erit illis qui nunquam cogitare voluerunt quid esset Mori? & quod deberet aliquando mori? quocircà & nihil utilius discitur quàm Mori; & nihil stultiùs negligitur, quàm discere Mori, & nihil periculosiùs probatur quàm Mori, & tamen post hæc omnia sub eundem est omnibus semel Mori.

Quos ergo diligit Sapientia hos docet Mori: & docet Mori morte duplici, utrâque bonâ, utraque utili. Una est Mors Corporalis, quâ Anima à Corpore separatur: altera Spiritualis, quâ ratio sensualitati præficitur & sensualitati vigor adimitur atque mortificatur: utraque autem, tam sensualitas, quàm Ratio, Fidei & Gratix submittitur, & in obsequium ejus captivatur. Hæc secunda Mors est Dispositio ad Priorem, & ex ejus perfectâ scientiâ atque experienciâ, pender exitus eventusque illius. Hæc Spiritualis Mors, lentior quidem est, quàm corporalis, sed molestior; tùm quia diuturnior hæc, illa autem brevior; tùm quia hæc voluntatis, illæ naturæ; tùm quia hæc libertatis, illa necessitatis: tùm quia hæc hominis est viventis & post mortem unam, ad aliam sese reservantis, suamque ipsius mortem sentientis & videntis, illa verò est hominis morientis, & omnes jam molestias hujus vitæ uno isto ictu præcidentis. Hæc Spiritualis mors hoc habet commodi suprâ illam & ad illam, quod sit Dispositio ad illam, & quod per experientiam possimus discere & repetere illam, imò quantò illam frequentius experimur & repetimus, tantò nobis & faciliorem hanc, & leviolem reddimus illam; Nam cum duo sint quæ nobis reddunt mortem  
illam

illam corporalem maximè horribilem, scilicet  
 Conscientia malæ Actæ Vitæ, & amor Bonorum  
 terrenorum, quæ relinquere cogimur: utrumque  
 hoc Morte Spirituali expeditur: Nam & per il-  
 lam Conscientia, non solum à peccatis evacuatur,  
 sed etiam exercitiis omnium virtutum ornatur, &  
 Terrenorum Bonorum Amore, cor planè expo-  
 liatur, & totum cor sursum ad superna elevatur.  
 Quo fit ut Morti Spirituali assuefactus, quando ad  
 Mortem venit corporalem, nec concutiatur male  
 actæ vitæ conscientia, nec doleat se hujus vitæ bo-  
 na caduca relinquere; sed potiùs & præmia vitæ  
 bonæ recepturum se speret, & ab his putidis, ad  
 illa cælestia bona evolare festinet. Sic ergo per  
 Mortem unam, itur ad Mortem alteram, suavi-  
 utique & ordinato Sapientiæ Divinæ Magisterio.

*O Doctrix discipline Dei Æterna Sapientia,  
 quis mihi det, ut erigas mihi aurem quotidie, inò per-  
 petuò, ut tuum semper excipiam Magisterium, &  
 habeas me discipulum tuum diligentem & promptum  
 semper ad discenda ea, quæ tu doces bona esse; & ad  
 discenda ea quæ tu doces mala esse, Sapientia verò  
 mundi hujus docere contendit utilia esse. Accipe me  
 ô suavissima Sapientissimaque Magistra, & me secu-  
 dum eruditionem tuam instrue, quoniam beatus, quem  
 tu erudieris, & in lege tuâ docueris.*

## CAPUT XVI.

*Æterna Sapientia Gustus & Fruitio ha-  
 benda est.*

59.

**Æ**Terna Sapientia non tantum lux est, non  
 tantum Magistra est; sed etiam cibus, et  
 tiam sapor est. ideo qui ad illam veniunt, non  
 tantum

tantum oculos ad disciplinam; sed etiam appetitum & gustum, imò ventriculum afferre debent: non tantum enim illa docet; sed etiam sapit: alioqui si docet sed non sapit, frustra est. Sicut etiam, si sapit sed non docet, nihil prodest. Nam & *scienti bonum sed non facienti peccatum est: & sapere sine lucis sobrietate insipientia est*; Didicimus jam Sapientiæ doctrinam, vidimus ejus lucem, gustemus jam dulcedinem ejus & fruamur sapore ejus. Sed quomodo gustabimus, quomodo fruemur, qui illam non possidemus, non tenemus? Fateor hoc opis nostræ non esse, & mortua scriptura nostra hoc non dicet, quod vivax experientia non sensit: verum non est nostri propositi gustare aut frui; sed tantum excitare ad gustandum & fruendum. nam gustare & frui, actus est, exercitium est, experimentum est, beatitudo est. O beatos gustus illos! ô felix illud palatum! ô fortunatum appetitum fructu Sapientiæ gaudentem & potentem, & affluentem! quando hoc, quando ô Deus meus, Sapientiâ verax, Veritas Sapiens, utraque Æterna, imò Æternitas ipsa, quando (inquam) etiam mihi servulo tuo, ministro tuo, mancipio tuo, Amatori tuo, sponso tuo continget? quando induces me in Cubiculum tuum, & ostendes te, meque mihi, & uterque comparebimus nobis, fruemur nobis, delectabimur nobis! O Secretum suave! O Suavitas secreta! O quando medium omne, maceriam omnem diruam! quousque stat post parietem nostrum amor noster? quousque prospicis per cancellos? cur non sine medio tandem unimur, jungimur, necrimur, visceramur, transfiguramur, transformamurque? quousque ego sine te? quous-

V. P. Druzb. Op. VI.

D

que

Gal. 2. 20.

que longè à te? quousque ego non tu? quando erit, ut dicam, & verè dicam, & semper, & ple-  
dicam, *Vivo ego jam non ego.* Ah quando ego non ero ego? quando Deus meus, Sapiencia mea eris mihi omnia, eris super omnia, eris solus omnia. Ah quando nihil erit mihi nisi solus tu, quando neque ego mihi ero, sed tibi ero, imò nec tibi, sed Tu ero? Hæc cogitare ô Sapienissima Sapiencia, hæc desiderare dulce est: & quantò dulcius experiri, quantò beatiùs his potiri, his insuescere, his satiari!

60.

Quærimus autem nunc: Quid sit frui, quod satiari Sapiencia? & quærimus non de illâ vitâ quæ suprâ nos; sed in hac Vitâ quam adhuc vivimus, quærimus hæc & invenire non possumus, quia te ô Sapiencia non habemus, non possideamus. Te enim sine te quis possideat, quis fruatur? Attamen quid est frui Sapiencia? est nosse illam, amare illam, inhærere illi, conquiescere in illâ, morari cum illa, gaudere de illâ, & congratulâ, morari cum illa, gaudere de illâ, & congratulâ illi, satiari & inebriari illâ, posthæc autem omnia appetere illam. Sed quid sunt hæc ipsa omnia? Istos interroga qui experti sunt isthæc omnia; ergo de hoc numero non sum, quia conspectu & memoratu Sapienciæ dignus non sum.

*Utinam mihi contingat ô Æterna Sapiencia, ut aliquando etiam ascendat memoria mei apud te, & constituas, mihi tempus, in quo recorderis mei, & adimpleas me lætitiâ cum vultu tuo, aut saltem sinas me comedere, de micis illis, quæ cadunt de mensâ filiorum, amatorum, Sponsorum tuorum, Dominorum meorum!*

CAPUT

## CAPUT XVII.

Æternæ Sapientiæ Ministerium, & Mini-  
strandi Modus,

Sapientia DEUS est, qui bonorum & Ministe-  
riorum nostrorum non eget: ministrari tamen  
sibi vult, & jubet, ac (etsi non juberet) debet  
quia dignus est, quia nos opus ejus sumus, quia  
ministrare illi nostrum bonum, nostra felicitas  
est, miserique sumus, si illi non ministramus. Mi-  
nisterium igitur Sapientiæ Æternæ istis capitibus  
præcipuè constat. 1. Se & Illam nosse. hoc est:  
quod illa super omnia sit, & quod homo ab illa  
habeat omnia, debeatque ipsi omnia. 2. Amare,  
concupiscere æstimare illam super omnia. 3.  
Subjicere se & subdere illi: unaque sua omnia.  
4. Illam ubique spectare & recognoscere, ex e-  
jusque ductu & Magisterio agere omnia: atten-  
dendo tum ad illud internum ejus quod in Ratio-  
ne Conscientiæque nostrâ semper imprimit dicta-  
men & Magisterium, nunquam Sensum & Affe-  
ctum, sed rationis rectæ lumen sequendo: tum  
verò ad externum illud Incarnatæ & inter homi-  
nes conversantis viventisque Sapientiæ exemplar,  
nobis ab illâ ad imitandum propositum. Ex-  
emplum enim dedit nobis, ut quemadmodum  
illa in hoc mundo vixit, Deoque Patri ministra-  
vit, etiam nos vivamus, ac eidem ipsi ministremus,  
prout etiam ipsa loquitur alicubi, dicens: *Qui  
mibi ministrat, me sequatur.* Ergo ille ministra-  
tor est Sapientiæ optimus, qui est imitator ejus  
accuratissimus. 5. Purgare se, & abstrahere à  
peccatis, omnique adeo specie mali. 6. Se pos-  
fidere

61.



fidere ipsum & non servire peccato, non concupiscentiis, non passionibus, non creaturis illis

62. 7. Ornare se omni virtutum genere non solum Communium & in gradu communi, & quasi plebeo, sed in Excellenti atque Heroico. 8. Perdere se ipsum, & sibi perire, propter Sapientiam æternam, ejusque Amorem. 9. Illi se totum donare & mancipare in servum Æternum. 10. Illi sese incorporare & in illam transformare, presertim assumendo & imprimendo sibi quam perfectissimè, illam ejus imaginem, quam illa subit pro nobis in suâ Passione, communicando per Intellectum, per Affectum, per Sensum, per experientiam continuam, dolori, paupertati, contemptui, Cruci, Morti ejus. 11. Suâ salute contentum non esse; sed alios etiam ad Amorem Æternæ, Incarnatæ, Increatæque Sapientiæ, ad contemptum terrenorum, ad curam animæ ejus pretioso Sanguine & durâ Morte redemptæ inducere. 12. Non esse contentum quali quali aliorum salute, sed perfectionem etiam sanctitatemque eorum curare. 13. Propter salutem perfectionemque aliorum ac suam, propter Æternæ Sapientiæ Gloriam, se, suam famam, opinionem, valetudinem, sanguinem, vitamque impendere, profiteri, nihili facere, prodigere.

63. 14. Hæc omnia postquam peregerit; nihili facere, non se inde efferre, nec se magnum, multumvé aliquid propter Sapientiam Æternam egisse se putare; sed potius agnoscere, hæc ipsa, esse ejus quidem dona, sua verò debita, pro quibus rationem sit redditurus olim ipsi, & cum quibus meritò possit ab ipsâ rejici.

*O Æterna Sapiencia, quæ Ministros tibi dignos te facis, & cui subesse atque ministrare, dignitas est, respice in me vilissimum opus manuum tuarum, & facito me ministrum tuum dignum Te. Non sum quidem ego dignus & aptus, ut in totâ vitâ meâ, & si foret æterna, vel per unum momentum ministrem Majestati tuæ; sed Dignitas tua tanta est, & obligatio mea, ut debeam tibi, per omnia totius Æternitatis momenta, omnibus omnium rerum viribus conatibusque totaliter servire, meque ministerio tuo superimpendere. Ó Sapiencia, utere me digne te, ad exaltandum Te, ad humiliandum me, juxta Adorandæ Voluntatis tuæ placitum; & propter nullum præmium meum. Tibi soli sit omnis honor & cultus, & Amor in secula.*

## CAPUT XVIII.

### *Æternam Sapienciam sibi Desponsandi Ratio.*

**N**ON est ambitio humana, sed Dignatio Divina, quod creatura vilis, audeat tantum sibi assumere, ut Desponsationem Æternæ Sapienciæ, ejusque connubium & complexum, præsumat concupiscere. Dignatus est hominem sibi unire Hypostatice & substantialiter Deus: quomodo non dignabitur Animam sibi unire, Mystice & Spiritualiter? Non tantum dignatur, sed etiam imperat & jubet, molestumque est illi, si rariùs fruitur hujusmodi Sponsalitiis, delitiis, atque amoribus. quin imò propter hoc præcipuè venit Increata Sapiencia, factaque est Incarnata, ut homini & animum daret, & modum ostenderet ad Sponsalia veniendi Divina. Nam ubi homo vi-

64.

D 3

det

det Voluntatis & Dignationis Divinæ fuisse  
Deus Homo, & Homo Deus fieret: quomodo  
jam dubitet esse etiam Voluntatis Dignationisque  
Divinæ, ut homo Sponsus Dei fiat, jungaturque  
illi amore, quem videt sibi potuisse jungi natura,  
personā, substantiā? Audeat ergo homo  
præsumere, quod Dignatur Majestas æternade-  
siderare. Assumat in sponsam Ratio Sapientiam,  
nectatur Radius Soli, rivus fonti, effectus Causæ,  
Creatura Creatori, Vilitas Dignitati, nihil Eni,  
Homo Deo.

65.

Sed quis modus erit in re quæ est supra mo-  
dum? Arbitror, nulli eo usque audaciæ proce-  
dendum, nisi prius persenserit, se ad id præsum-  
ptionis dignanter vocatum: Nam omnes quidem  
vocat Sapientia ad convictum & consortium su-  
um; sed facit hac in re tamen discrimina, nec te-  
merè quoslibet ad intima intromittit. Speciali-  
ter vocat, specialiter præparat, ornat, animat,  
quos ad eò specialiter honorare cogitat. Suntque  
hujus Vocationis signa ordinaria, nec obscura,  
nec pauca, e. g. Mortificatio sensuum, & Odium  
sensualitatum, Veritatis Amor, Puritatis interna  
studium, Mansuetudo, Phantasmatum raritas &  
quies, Desiderium placendi Sapientiæ, Vita ex  
Rationis & Fidei præscripto diu diligenterque do-  
cta. Sapientiæ mundi & judiciorum humano-  
rum neglectus & irrisio, Cupiditas intima cordis  
inhærendi fruendique Æterna Sapientiâ, quam  
non pariat turbida de Propriâ Dignitate sanctita-  
te vè præsumptio & opinio; sed humilis amor obla-  
que ad Æternam Sapientiam affectio, identidem  
que intus in animo ad id desiderandum percepta  
impulsio atque invitatio. Hæc in se qui senserit,

voca-

vocari se non dubitet; sed post hæc, quonam vocetur sciat oportet. Noverit quid & quænam sit isthæc Æterna Sapientiæ, & noverit notitiâ non communi, sed Altiori quadam, quam nemo scit nisi qui accipit, & quæ in hoc negotio est omnium difficillima: nec ferè obtinetur, nisi donetur. non donatur autem, nisi magnis & generosis sui propter Deum contemptoribus, famæque & honoris sui calcatoribus, propriæque stultitiæ & defectuositatis professoribus. Quâ in re quanto qui amplius proficiunt & excellunt, tantò postmodum penitus in arcanâ Æternæ Sapientiæ ab ipsamet Sapientiâ inducuntur. Inductus verò quis ad dictam altiorem Sapientiæ Notitiâ nullo negotio illius magnus æstimator & admirator evadit. Sapientiæ est omnium rerum pondus, pretium, Dignitas, valor, artifex, regula, ratio. proinde si hoc esse cognoscatur, non potest non præ omnibus pretiosa & mira videri. Ab æstimatione porrò admirationeque Sapientiæ, transitur ad Amorem atque Desiderium illius, & quidem non vulgare, sed ardens, tædiosum, semper crescens, inquietum, laboriosum, famelicum, absorptivum.

Istiusmodi autem desiderium, stimulat & urget animum ad præparandi sui studium. Animus ergo succensus desiderio fruendi & potiundi Æternæ Sapientiæ, totum se colligit, ab omnibus avellit, omnibus expurgat, non tantum sordibus, sed etiam sordium vestigiis: non tantum terrenis ac sensualibus rebus, sed etiam rerum imaginibus, omnia à se amputat non necessaria, ipsa etiam minuit & ordinat necessaria, sursum se semper erigit, in supernis semper quidquid aliud

66.

67.

agat se defigit: quoties se ab inde prolapsus adve-  
 tit, toties eodem incessanter & infatigabiliter re-  
 re compellit. & denique, quantum fieri poterit  
 continuò per memoriam & Amorem *Æternam*  
 Sapientiæ semper inhæret, illam vigilans, illam  
 dormiens, illam loquens, illam tacens, illam o-  
 rans, illam studens, legens, scribens, docens,  
 illam ambulans, illam sedens, illam tandem ubi-  
 que vivens & moriens præ oculis habet, fovet,  
 amat, æstimat, concupiscit, laudat, osculatur,  
 adorat, ambit, deprecatur, orat, consulit, gra-  
 tiis munusculisque prosequitur: illi soli se servat,  
 ornat, ditat, exercet, præsentat. illi soli vivit, illi  
 soli placere, servire, ad palatum & Gustum aliquid  
 facere, vitæ Beatitudinisque instar ducit. Et quia  
 hæc aut pauca aut parva viliaque ducit, suis ipsius  
 industriis, operibusque inopibus minime conten-  
 tus, ideò aliorum quos Sapientiæ certò novit pla-  
 cuisse, delitiososque fuisse, implorat emendica-  
 que Suffragia. incipiens à minimo Angelo, à mi-  
 nimo Sancto usque ad ipsam Sapientiæ Matrem  
 Pretiosissimam progreditur, & dignos *Æternam*  
 Sapientiâ ornatus apparatusque corradit. quin  
 etiam ipsius se Sapientiæ Incarnatæ vestit Digna-  
 tionibus, instruit donis, ditat meritis, assimilat  
 moribus, succendit Amoris.

68. Hic jam conceptâ fiduciâ non ex suis, sed ex  
 ipsius Sapientiæ Gratiis, ambitiosa sua explicat vo-  
 ta, dat se, & postulat vicissim pro se, coram *Æternæ*  
 Individuæque Trinitatis Majestate, in conspe-  
 ctu totius cæli, celebrat Sponsalia cum *Æternâ*,  
 Increatâ, Incarnatâ Sapientiâ. fit Sponsus & Spon-  
 sam habet, contrahit, complectitur, fruitur, &  
 beatus

beatus est, si non plenè, at ex parte, si non semper, at sæpè, at interdum.

O Pretiosissima, ô Pulcherrima, ô Dignissima Æterna Sapientia, quæ medicet universæ vilitatis vilitatem atque purgamentum; tamen gratuita, solâ & purâ Misericordiâ, Gratiâque tuâ condis, servas, ditas, salvas, beas. Te, ego coram Adorandâ Individuâque TRINITATE, coram omni aulâ celesti, Pretiosissimâque Parente tuâ Virgine MARIA, nullis licet meis suffragantibus meritis, sed solis tuis invitantibus auxiliis: Eligo, accepto, accipio mihi in Sponsam sempiternam; meque vicissim tibi dono, Trado, despondeo in Sponsum perpetuum: voloque totus Tuus esse, in omnibus tibi servire, omnia ad Gustum tuum facere, in omnibus majus tuum Beneplacitum, majoremque Gloriam tuam querere & spectare: in omnia tua commoda totum me semper impendere, Tibique in æternum adherere. Nullum pro hac re abs te præmium postulans & expectans, nisi ut Tu sis Sponsa mea suavissima, & ego Sponsus Tuus, gratissimus, Tibi, semper, utque utaris me toto juxta omne placitum tuum, & ad Gustum Adorandæ Voluntatis tuæ, & ad Exaltationem Em. nentissimæ Dignitatis tuæ. Tibi cum PATRE, & Sancto SPIRITU, sit Æternitas Gloriosa, & Gloria Æterna.

Hujus cum Æternâ Sapientiâ Desponsationis præcipuum munus, finis, exercitium, Praxis, & negotium, & quasi compendium est positum in hoc, ut perpetuâ (quantum in hac vitâ fieri potest) memoria habeatur Æternæ Sapientie, ita tamen ut hæc memoria non sit sterilis, & merè (ut vocant) speculativa, sed fructuosa, & practica, sive operativa. Quæ operatio consistit in

D 5

hoc

69.

hoc ut dum memoriam præsentis nobis Sapien-  
tiæ Dei retinemus, excitemur ejus Præsentia &  
in conspectu ad varios affectus & effectus v. g. ut  
in conspectu ejus nihil indignum oculis ejus  
committamus. 1. Sedita vivamus ut speciosissi-  
mus ille purissimusque oculus nihil inveniat  
quod reprehendat. 2. Ut non solum nihil agamus  
mali, sed etiam si quid agimus boni, agamus  
cum maximâ perfectione & fervore & juxta  
gustum Sapientiæ, Heroicoque cum conatu.  
3. Ut quantum fieri potest teneritudine Amoris  
vel fame sitique desiderii, vel familiaritate col-  
locutionis mutua, vel confidentiâ communica-  
tionis, vel secretâ complexuum conjunctionum-  
que fruitione & satietate, in eam (utpote præ-  
sentem, & quidem Sponsam) rapiamur, neque  
tamen intereâ à necessariis occupationibus, de-  
bitè peragendis avocemur. Quæ res non est  
quidem (fateor) humanarum virium: (quid  
enim nos sumus nobis, nisi duces in præceptis,  
& pondera in nihilum?) tamen qui amant Sapi-  
entiam, & qui amantur ab illâ facile hoc illis usu  
fiet, & tempore; modò non fatigentur initio sese  
ostendente difficultate.

*Fac ó Sapiencia Æterna ut convivamus tibi  
digne Te; omnia enim possumus, nos infirmi, per te  
& nihil possumus nos robusti sine Te. Quia omnis suf-  
ficientia nostra est ex te. Tibi Gloria & Benedictio  
& Gratiarum actio ab omni Creatura in secula.*

CAPUT

## CAPUT XIX.

*Æterna Sapientia quomodo animo concipienda?*

AD dicta hæc tenens juverit multum perpendere & cognoscere quomodo Æterna Sapientia animo sit concipienda. 1. Et quidem solent vulgò pii homines qui huic exercitio student, Æternam Sapientiam Deum, sibi effingere & formare per quasdam imagines, quâ in re Sacra etiam Scriptura crebrò se Ducem præbet: Sic enim Isaias, vidit *Dominum super solium excelsum & elevatum*. Daniel item eundem sub longævi senis formâ intuitus est. Denique ipsam Sapientiam sub Regina Imperatricisque Augustæ Formâ adumbratam legimus comitante Gloriâ & Æternitate, divitiis, opibus, aliisque famulitiis stipatam. 2. Alii Æternam Sapientiam velut Lucem sibi imaginantur quandam, aut velut Oculum ad nihil unquam conniventem, omniscium, in omnes partes intentum. 3. Alii eandem velut Sponsam Virginem ornatissimam decentissimamque sibi effigunt, commodâ quidem, delicatâ, & ad proximo capite dicta convenienti, quin & in Scripturis ipsis depictâ imagine: cæterum *non debemus* (ut dixit Atheniensibus Paulus) *estimare cogitationi hominis Divinum esse simile*. Nam Sapientia Æterna, Sponsa quidem est sed animi; Spiritus siquidem est Deus, & carnis contagia non novit: Similiter omnia quidem intuetur sed non est oculus: Omnia illuminat nec tamen Lux est, omnia gubernat: sed non tanquam Rex in regno, verum tanquam Anima in corpore, tanquam Deus in mundo, tota in

70.

Isaie 6.4

Act. 17.29

tota



toto, tota in quavis parte, præsens, operans, inexistens ubique, cuilibet rei intimè: à fine ad finem pertingens, medullasque & viscera rerum penetrans.

71.

Cui ergo similem dicemus & cogitabimus Sapienciam istam, quæ & omnium est dissimilis, & tamen simul est omnium prototypon, atque exemplar? Nudam intueri Sapienciam, non est hujus vitæ & statûs: Felicitas hæc est, sed non huic servata Peregrinationi: attamen, & hîc sensim assuefaciendus est animus ad intuitum ejus, quantum fieri potest purum, incorporeum, spiritualem, denudatum. Quod nisi fallor illustrari potest ex parte hac ratione. Spiritus est Sapiencia, & quidem purissimus, simplicissimus, Actualissimus, imò purus actus: quo fit ut solus Spiritus quoque sit ejus capax, soloque Spiritu possit concipi: aded ut tantò censeatur agnosci perfectiùs, quantò vel spiritualiùs apprehenditur, vel à Spiritualiore intellectu. Sensus non apprehendit eam, nec ipsa vult, potestvè sensu- aliter percipi, unde scriptum est: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs. Et: In malevolam animam non introibit Sapiencia.* malevola autem est anima omnis illa quæ Carni & Sensui debita. Non igitur sensu captanda & cogitanda Sapiencia sed Ratione, & eâ quidem à Sensibus expeditâ, à corporeisque imaginibus repurgatâ. Verùm hoc ipsum quomodo fiet, nescio: quidquid enim dixerò obscurum est, non ex se illud quidem, sed ex nostrâ quam de rebus apprehendendis exponendisque habemus consuetudine, quam corrigere non est facilè, inveteratam, usuque longo impressam.

Certum

1. Cor. 2. 14.

Sap. 1. 4.

Certum est, esse multa in rebus etiam humanis, quæ solâ Ratione concipiuntur, & sub nullo sensum externum internumque cadunt. Talis est omnis res Moralis, ad honestum, ad virtutem, & ad his opposita pertinens. Fides v. g. Amor, Justitia, Mansuetudo, Fortitudo, Generositas & similia, sunt in hominibus, amantur in hominibus, coluntur, laudantur, appetuntur, & per consequens etiam cognoscuntur ab hominibus. Non cognoscuntur autem Sensu, non oculo, non aure, non tactu, non imaginatione; super est igitur, ut solo Intellectu, sicuti etiam appetuntur & diliguntur, non aure, non oculo, non phantasiâ; verum Rationali appetitu, scilicet voluntate. Similiter Ars, Doctrina, Scientia, Prudentia, Ingenium, Judicium Consilium Ratione apprehenduntur, & Ratione solâ, nullo Sensu ad ista pertingitur. Similiter audimus sermonem & cognoscimus esse elegantem, videmus picturam, judicamus artificiosam. Spectamus actionem, dicimus esse honestam, justam, rationabilem, ex virtute profectam: isthæc Judicia, de Honestate, de Arte, de Elegantiâ, non sunt Sensuum, sed solius Intellectus: aliudque est quod in his intuetur Ratio, aliud quod sensus cognoscit.

In re igitur nostrâ loquendo, quomodo hæc omnia Intellectu apprehenduntur, ita potest & debet apprehendi cognoscique solo Intellectu, solâque Ratione etiam Æterna Sapientia: quibus enim oculis videtur Virtus, quibus honestas, quibus veritas, quibus ipsa Ratio, ipsis iisdem videtur Sapientia. Et quomodo intuemur in Rege Authoritatem Dignitatemque Regiam, quo-

72.

73.

quomodo in Judice Judiciariam, in Doctore  
Magistrallem, in Superiore Imperativam: in  
amico Amicitiam, in Amante Amorem, in San-  
cto & Justo morum Integritatem, eò modo in  
omni prorsus re oculis Intellectualibus fide col-  
lustratis intueamur, diligamus, consulamus,  
æstimemus, concupiscamus, gustemus *Æte-*  
*nam Sapienciam: & hæc enim Spiritualis est:*  
cut & omnia illa, imò hujus particulæ & parti-  
cipatio sunt omnia illa. adeò ut quæ in Creatu-  
ris sparsim sint bona Rationalia, hæc in *Æterna*  
Sapientia sint simul omnia, & extrà illam sunt  
aliud nihil quàm quædam Sapientia vestigi-  
um. Dum ergo de Sapientia *Æternâ* cogitamus, ima-  
ginibus quoad fieri potest non utamur; sed tan-  
quam Spiritualem & ipsi Spirituales spiritualiter  
cogitemus atque Ratione comprehendamus.

*Tu facito Æterna Sapientia ut Animi corporeis  
exuti nebulis, & in spiritualem asserti tuo dono nudi-  
tatem atque puritatem, te in veritate, & prout inte-  
res, pro suo posse & Statu cognoscant, tibi que quam  
proxime & intime sine ullo prorsus medio, uniantur  
insint, inhæreant, in viscerentur, Teque digne  
semper, & ubique cogitent, & tecum digne Te con-  
versentur.*

## CAPUT XX.

*Æternæ Sapientia convivendi, cum eaque  
conversandi Ratio.*

74. *Sapientia* *Æternæ* conversatio amaritudinem  
*Sap. 8. 16.* *Stadium non habet: & ideo beatus qui cum*  
illâ demorabitur, dummodò digne demoretur.  
Etenim sunt, qui cum illa, non ita prout dignum est

est illâ, conversantur. Certè Judam scimus Christi Jesu fuisse Auditorem, asseclam, Apostolum: eundem tamen novimus extitisse diabolum: Nonne (ait ipsa Sapientia) ego duodecim elegi vos, & unus ex vobis diabolus est? Ad Sapientiam ergò & accedendum rectè, & agendum conversandumque cum illâ debetè.

Atque hac in re primum omnium velut fundamentum statuendum est. Sapientiam sicut ubique locorum & rerum præsens adest, ita ubique & in omnibus præsentem agnoscendam esse. Est enim error atque deceptio non parva quærere Deum tanquam alicubi quidem præsentem, alicubi autem absentem. Nusquam abest, qui ubique adest, proinde non quærendus tanquam absens, sed tanquam incognitus cognoscendus est & inveniendus. hoc namque est Deum invenisse, scire & meminisse illum Præsentem adeste. Sic ergo Sapientia cum adsit ubique scienda est ubique adeste, & scienda nusquam posse abesse. Etenim unde aut quomodo abesset Sapientia? absit ut illa alicunde absit; nam si hæc abesset, insipientia adestet, quod utique & Deum minime deceret, & Sapientiæ nequaquam congrueret, ut insipientiam alicubi esse permetteret, ipsaque illi locum cederet. Verum est esse in Creaturis & quidem in Rationalibus insipientiam, cæterùm non sine Sapientiâ, non, inquam, sine dispensatione & permissione Sapientiæ: quæ illi idèd nonnunquam alicubi spatium concedit, ut se per illam tantò magis manifestet. Quod cum ita sit, cum Sapientia nusquam non adsit, sequitur utique nos semper & ubique cum Sapientiâ esse, in ipsa vivere, in ipsâ moveri.

sed

75.

Eccl. 20. 32.

Sed parum est nos in illâ & cum illâ esse, etiam noverimus, nos cum illa esse, & nisi scimus servemusque artem, qua deceat cum illa degere. *Thesaurus enim invisus, & Sapiencia abscondita, quæ utilitas in utrisque?* Nulla prorsus: forte est etiam incommoditas non nulla, non enim incommodum est, ignorare tum commodum? certè nihil differt à paupere qui se nescit esse divitem, nihil differt à misero, qui se ignorat esse beatum. Thesauro caret qui scilicet habere nescit, sed nec lucem videt is, qui se videre illam, non videt. Pari ratione fructus est, imò non est cum Sapienciâ, qui se ignorat esse cum Sapienciâ. Scientes ergo & nescientes, volentes nolentes, cum Sapienciâ sumus, sed cum illâ nos esse, non nisi scientes & volentes scimus, itemque cum illâ, dignè illâ versari, non nisi scientes & volentes possumus. Et scilicet tum primum fundamenta rectæ cum Sapienciâ conversationis jacimus, quando nos cum illâ, in illâ vivere semper agnoscimus. Attamen fundamentum hoc otiosum est, si quid insuper non addimus, & ædificio jam ita fundato, parietes non superædificamus, quos quidem tunc erigimus, quando ad alios, magis Sapienciæ Æternæ placitos, cum ipsâ conversandi gradus ascendimus.

76.

Qui Gradus, ut mihi nunc docente Sapienciâ occurrunt, isti nisi fallor sunt. 1. In præsentia conspectuque æternæ Sapienciæ perpetuè, libenter, reverenterque versari. 2. Omnia opera propter illam, & aggredi, & prosequi, & finire, illique attribuere. 3. Ex Disciplinâ, præscripto, regulisque Sapienciæ omnia agere, nusquam

quam recedendo à præscriptis ejus, non in tempore, non in loco, non in modo, non in substantiâ, non in aliis circumstantiis actionis. 4. Omnia cum illâ agere, & ad omnia auxilium, opem, directionemque ejus implorare, obtinere, admittere, & nihil omninò sine illius speciali cooperatione perficere aut moliri. 5. Omnia ipsius solius arbitrio permittere, ipsique soli omnia perficienda relinquere, securèque in ejus efficacitate & benignissimâ providentiâ conquiescere: Sese verò aut nihil in opera intromittere, aut ad ea tantùm velut instrumentum gratuitum & minimè necessarium atque accommodatum ab illâ adhiberi agnoscere, idque libenter ubique prædicare. 6. In omni opere ipsam imitari, & illius ad instar omnia agere. 7. Illam in se sibimet agentem & operantem cogitare, ac propterea mollem & tractabilem se illi exhibere, ut homine pro arbitrio uti possit, v. g. Si homini Orandum est, cogitet ipsam Sapiëntiam in homine & per hominem oraturam, proque homine, in homine ad semetipsam preces fufuram, (juxta illud quod de Spiritu Sancto Apostolus dixit: *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & Rom. 8. 26.* quidem in ipsis nobis. Et Propheta. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine*, utique sanè per nos & in nobis, si opera nostra sunt,) attendat ergo jam homo quomodo Sapiëntiam orare deceat, nec quidquam tale committat, quod Orationi ab Æternâ Sapiëntiâ fusæ adjungi minimè debeat, non itaque sese huc illuc vertat, non distrahatur, non indevotus sit, non interrumpat sine justâ causa, non festinus sit, non quomodolibet & dumtaxat expedire cupiat, alia-

*V. P. Drazb. Op. VI*

E

que

que omnia quæ Orationem Sapientia Aeterna deceant adhibeat. Et consimiliter se in aliis omnibus operibus suis gerat.

77.

Ex hisce gradibus tres quidem postremi excellentissimi sunt; magis tamen ad palatum Sapientia facturum eum puto, qui omnes coningere conscendereque adnitetur. Neque vero dubito infinitos præterea alios reperiri modos posse cum Aeternâ Sapientia conversandi: sed mihi partim isti soli nunc occurrunt, partim jam in superioribus capitibus, præsertim 17. & 19. allati sunt.

*Ultimam ô Aeterna, semperque Augusta Sapientia, ita me totum facias tuum, ita absorbeas totum, ut mei nihil relinquant mihi, facias me convivium tuum, & sodalem dignum Te, gratum tibi, placitum coram te: ut in lumine tuo, in efficacia tua, in præsentia tua, ex Norma, & voluntate tua totus vivam, totus agam, totus agar, totus construar, totus consistam, totus effigurer.*

## CAPUT XXI.

*Ad Aeternam Sapientiam Affectus varii Theologici.*

**C**onstructi in supradictis aedificii superest ut veritatem tectumque exhibeamus quem nunc affectuum erga ipsam varietate perficimus. Nullis enim bonis animus celerius ad Sapientiam pervenit pedibus quam crebris, & si potest fieri, continuis, ex inflammato corde ad ipsam ructatis affectibus. Libenter & aspirante ipsâ Sapientia hac in re plusculum lusitare, & Spiritui nonnihil prout ejus penuria petitur indulgere.

I. AETER-

I. ÆTERNA SAPIENTIA. Credo *Actus Fidei.*

Crede hæc omnia quæ de te, per Te, revelata sunt in Sacra Scripturâ, atque tua S. Romana Ecclesia. Pro qua Fide millies mori paratus sum.

2. Æterna Sapientia. Credo Te esse, existere, et per te. Credo te Deum, et totum id quid revera es, esse.

3. Ætern. Sap. Tu es DEUS, Tu es Filius Dei, non creatus, non factus, sed ab Æterno genitus, consubstantialis, et coæternus, et æqualis Patri per omnia idem cum ipso Natura, alius persona.

4. Ætern. Sap. Increata, Tu es propter nos DEUS-Homo Incarnatus, de Purissimis Pretiosissimæ Parentis Virginis MARIÆ sanguinibus, cooperante Spiritu S. conceptus et natus et inter homines 33. Annis conversatus, tandem propter homines in Cruce passus et Mortuus.

5. Aeterna Sap. Tu es Judex vivorum et mortuorum. Princeps et Pater futuri sæculi.

6. Aeterna Sap. JESU Christe, Tu es Caput omnis Ecclesiæ, per Te, per Tua merita, per Tua dona, omnia vivunt, quæcunque Deo vivunt.

7. Aeterna Sap. Tu cum Patre unum et idem es Spiritus Sancti Principium, spirans æqualem tibi, eundem tecum, et cum Patre, in Substantiâ, alium in Subsistentiâ.

8. Aeterna Sap. Tu es Via, Veritas, et Vita nostrum omnium, tu Magister et Dux, et Exemplum vitæ nostræ.

9. Aeterna Sap. Tu es Pastor, et Pater, et Rex, et Sponsus animarum nostrarum, Tu Medicus, tu Divitiæ nostræ, tu Vita et Beatitudo nostra.

10. Aeterna Sap. Tu es cibus animarum nostrarum, tu te nobis Sacramentaliter, realiter ministras



*nistras in escam, tu nos tuo pascis Corpore, pro  
Sanguine, tu inter nos & nobiscum es ac manes usque  
ad consummationem seculi, sis Benedictus DEUS  
secula.*

*Actus Spei.*

11. *ÆTERNA SAPIENTIA.* *Tu es  
Deus meus, summum Bonum meum, & omnium me-  
stram, cui nullum bonum componere, nullum pre-  
ponere possum, quod super omnia bona spero, à quo  
omnia bona spero.*

12. *Aeterna Sap.* *Te totis viribus desideriorum  
meorum cupio, amo, appeto, tibi inbio, ad te an-  
helo, sine te non vivo, tibi immorior, propter te  
pereo.*

13. *Aeterna Sap.* *Quis mihi det cognoscere  
te, invenire Te, pervenire ad Te, amplecti te, possi-  
dere te, fruite, perire in te, immori tibi.*

14. *Aeterna Sap.* *Tibi soli, tibi uni, tibi semper  
vivit & vivet te dante anima mea, totus ego. El-  
heu me cur non adsum tibi, cur elongor à te, cur pe-  
regrinor à te! quousque quousque &c.*

15. *Aeterna Sap.* *Quando o quando incipiam  
pleno jure, tuo jure, meo jure frui te, possidere te?  
Quando incipiam tuus esse & te habere: quando in te  
aberrabo, quando te pererrabo, quando beatis tuis  
implectar labyrinthis, quando tua involvar, obruar,  
absorbebor abysso!*

16. *Aeterna Sap.* *Quousque quousque, bea-  
me, quousque desideria mea, quousque crucias vota  
mea Suavissima Sapiencia mea? O veni ad me: veni  
in me, da mihi te, ut satier, ut inebrier, ut replear,  
ut super implear te!*

17. *Aeterna Sap.* *Tu sola es Salus mea, tu sola  
es Spes mea, tu arrha, tu pignus salutis mea, bea-  
titudinis mea, felicitatis mea, tibi spes mea vivit,  
vivit*

vivet in aeternum, donec assequar te Aeternum, & Bonum meum Aeternum.

18. Aeterna Sap. A te, & in te, & ex Te sola, pendet universa Spes & expectatio mea, à te sola salvari, te sola beari possum, & volo. Tu sola, omne, solum, summumque bonum, & auxilium & subsidium meum es, te si habeo, satis est, te si careo, vae mihi est.

19. Aeterna Sap. Caelum, terramque & omnia quae in eis, & sub eis sunt tertor, quod in Te solam oculi mei respiciunt, ad te solam vota mea aspirant, tibi soli cor meum inhiat, in te sola spes mea sperat, in te solam vires meae recumbunt, tu sola, tota, summa, prima, ultima es ratio spei meae, salutis meae, omnis boni mei.

20. Aeterna Sap. Desidero, spero, concupisco te quantum possum, quantum das. Angustum est cor, quod accepi à te: da mihi amplius quod vehementius cupiat te. Da par tibi, da tuum: da ipsam Te, ut cupiam & possideam te per ipsam te: quoniam satiare & quiescere non possum nisi totaliter habeam te.

21. AETERNA SAPIENTIA. Tu es *Actus Amoris* DEUS, tu summum bonum, summe perfectum, summe pretiosum, nullis estimationibus digne estimandum, te ego Amo, Te super omnia aestimo, tibi super omnia benevolo.

22. Aeterna Sap. Tu mihi vitam meam, omnibus bonis meis, omni re & spe meam, toto mundo, omnibus creaturis etiam possibilibus carior, pretiosior, dignior, pulchrior, amabilior, suavior es & eris in aeternum & ultra.

23. Aeterna Sap. Amo te amore meo toto, amo amore omnium hominum, omnium Angelorum, om-

nium creaturarum etiam possibilem, amo amore Pretiosissima Parentis, amo amore Sacratissima Humanitatis. Cupio te Amare amore tuo quo te diligis, amore Patris quo te amat Pater, Amore tuo quo tu Patrem amas, amore, quo ambo Spiritum Sanctum amatis, ab ipsoque redamamini.

24. *Æterna Sap.* Totis Amorum medullis atque visceribus Amo te, Tibique & pro Te desidero me suspendere, ut vel unicus atomus gloriæ per meam opellam tibi possit accedere.

25. *Æterna Sap.* Si rationale tibi que est placentium desiderium meum istud, desidero ex animo, omnes inferorum pœnas (secluso reatu culpæ) in æternum tolerare, modo his tormentis meis liceat mihi Bonitatem, Dignitatem, Majestatem Tuam vel alium unicum instans exaltare.

26. *Æterna Sap.* Utinam cognoscant te & amant prout digna es, omnes Creaturæ tuæ Rationales, utinam oblitæ omnium ad te convertantur, utinam contemptis omnibus tibi soli inhient, tibi soli inhereant, te solâ contentæ sint, Te solâ frui, præeligant.

27. *Æterna Sap.* Gaudeo, exulto, totisque viribus meis congratulor & congaudeo, quod adeo bona, pulchra, perfecta, amabilis, suaviss, recta, beatissima prout es, quodque nihil tibi adimi, nihil addi ad plenitudinem omnimodæ potentiæ tuæ possit.

28. *Æterna Sap.* Summe amabilis & bonus es: amore meo satis amari non potes, sed nec ullus creatus, quantumlibet Seraphicus, & in immensum ex omnibus Creatis Amoris auctus amor, amanda tibi satis est. Ama ergo tu, Te, pro me, Amore tuo: ama Te, per temetipsam, propter temetipsam,

quia tibi amanda tu sola par, tu sola sufficiens, sola  
æqualis es.

29. Æterna Sap. Amari vis à me, & debes:  
secluso enim omni imperio, omnique merito, digna  
es ut super omnia ab omnibus, momentis omnibus  
ameris, ut quid igitur præcipis amorem tui, ut quid  
beneficiis & promissis provocas me, ut amem te, ut  
quid minaris ingentes miseras mihi, nisi amavero  
Te? parvumne mihi præceptum Amoris est Bonitas  
& Dignitas tua? parvumne mihi beneficium & præ-  
mium, amare te? parvane mihi miseria, non ama-  
re te? Te ipsam ô Sapientia Æterna testor, per te,  
& coram te juro quod amem, quod amare velim,  
quod amaturus sim super omnia in æternum, solam te,  
ante te, & me efficaciter adjuvante.

30. Æterna Sap. Da mihi Amorem tui, non  
quantum Creaturæ omnes & singulæ habent habere ve  
possunt, non quantum hæc universi machina capere  
potest, non quantum infinitæ tales orbis moles conti-  
nere possent; sed tantum quantum Tu omni tuâ Po-  
tentia condere potes: eum totum in æternum ad te  
solam converto & confero, propter Supremam Bo-  
nitatem tuam, propter Eminentissimam Dignitatem  
tuam, propter Adorandam Suavissimamque Volun-  
tatem Tuam, propter purum & nudum & solum  
Gustum Tuum, propter nullum autem præmium  
meum.

## CAPUT XXII.

*Alii ad Æternam Sapientiam Affectus.*

ÆTERNA SAPIENTIA Dulcissime Deus meus Confessio.  
Jesu: confiteor tibi omnes miseras meas &  
iniquitates, quibus iram merui, & quarum non est

finis. *hastu aeterno* & *immense Benignitatis tuae* excipe, exhauri, evacua.

*Aeterna Sapientia.* Tibi confiteor, cui soli peccari super numerum arenae maris: & à qua sola sanari: que sanctificari possum, volo, spero.

*Timor.*

*Aeterna Sapientia.* Cujus iudicia abyssus multa: & quae terribilis es in consiliis super filios hominum, quis mihi det, à timore tuo concipere, parturire, & parere Spiritum salutis, Obedientiae, subjectionis.

*Aeterna Sapientia.* Tu es Deus & absque te non est alius: tu vere timeri debes, quia postquam occideris corpus, habes etiam potestatem mittere animam ad gehennam, & ejicere foras à facie tua.

*Gratitudo.*

*Aeterna Sapientia.* Tibi gratias infinitas, immensas, intensas quas possum ago & agere aeternaliter volo pro omnibus beneficiis tuis, quae unquam tibi Creaturae & imprimis mihi, ab initio Creationis praestitisti, praestas, praestabis per omnia tempora, & per omnes aeternitates.

*Aeterna Sapientia.* Gratias tibi ago & agam dum vivam, tam meo quam totius Creaturae Nomine pro omni Sapientissima tua Providentiae quam circa nos habere decrevisti serie atque ordine.

*Adoratio.*

*Aeterna Sap.* Adoro te adoratione illa quae tibi soli tanquam Deo Dignissimo debetur, adoro autem pro me pro omni Creatura, pro omni tempore, cum omni adoratorii actus intensione, extensione, varietate, perfectione.

*Aeterna Sapientia.* Creatura tua sum, tu Creator meus: tu summe Dignus, Perfectus, Excellens es, ego autem summe vilis sum; & ideo in contestationem recognitionemque summae Dignitatis tuae, vilitatis autem & subjectionis meae tibi semper à me dubita, hunc praesentem actum facio, teque tota submissionis pleni-

plenitudine Adoro, & in æternum Adorare volo, & propono.

*Æterna Sapientia.* Tu es Deus omni honore Dignissimus ego autem sum *Humiliatio.* Creatura, homo, peccator omni contemptu Dignissimus: si tamen quidquam mihi honoris inest inesseve potest aut debet, quantum quantum est, totum id in te Deum meum Suavissimum Bonum meum refundo.

*Æterna Sapientia.* Fateor & toti mundo professor me cunctis miserationibus & Gratiis tuis minorem esse, sine Gratiis autem & Misericordiis tuis, nihil prorsus per me ipsum posse.

*Æterna Sap.* O quam Admirabilis & incomprehensibilis es omnibus Intellectibus Creatis, tum in Naturâ & Substantiâ tuâ, tum in Efficaciâ & Potentiâ tua, tum in Bonitate & Misericordia tua, tum in Pulchritudine & Dulcedine tua, tum in Rectitudine & Veritate tua. *Admiratio.*

*Æterna Sap.* Tu es Deus, & ô Quantus! quam mirus! quam nullis cogitationibus adæquandus! Opera tua minima satis mirari & stupere non possumus: te opificem quomodo poterimus!

*Æterna Sap.* Tu Deus es ego autem homo sum, hoc est tu Dives & Liberalis; ego autem pauper & mendicus sum: non me pudet nec piget mendicare à te; quin imo gaudeo, te tam perfectum, me tam miserum esse, ut cogar à te solo omnia maxima & minima bona mendicare. Mendico igitur & postulo omne id quidquid Tu Deus Sapientia, mihi & toti Creaturæ necessarium melius, salubrius, Tuæ Voluntati congruentius esse nosti. *Postulatio.*

*Æterna Sap.* Cujus natura prægnans Bonitate atque parturiens beneficiis est semper, peto à te ut me facias juxta ipsissimam Cordis tui medullam, & juxta

*Suavissimum Gustum Voluntatis tuæ, adhibeasque ad id Vias & Modos tales qui maxime Voluntati tuæ perplacent.*

*Resignatio.*

*Æterna Sap. Totum me in te Resigno, abjicio, demergo, & in te negligo atque desidero: ut tu mei curam quam voles geras, de meque totaliter prout voles disponas.*

*Æterna Sap. Ecce tu Deus meus & Rex meus: Ecce ego servus tuus, infans, subditus, cliens tuus: gubername, tracta me, abjectum & fidentem in jolam te.*

*Donatio.*

*Æterna Sap. Nihil sum, Vilitas sum, Vanitas sum: sed & si tam pretiosus, dignus, perfectus essem, atque es tu: totum tamen donarem me libens tibi, sicut etiam nunc quoad possum omni Cordis hilaritate dono, & donare me testor.*

*Æterna Sap. Quidquid à me vis & donari tibi à me vis, totum hoc quidquid est & esse potest tibi dono, donatione tam firma & hilari quam quæ cogitari potest.*

*Tedium.*

*Æterna Sap. Quousque vivo sine te, quousque non fruor, non inebrior, non demergor in te: Tedet me vita meæ, nec libet anima meæ absque te vivere.*

*Æterna Sap. Ubi es? O sapientia, quæ à fine ad finem attingis, cur me præteris, cur sine te sum, cur es sine me, cur non sum tecum? Ades o meæ, & tedium cordis mei, præsentia tuæ suavitate mitiga.*

*Laus.*

*Æterna sapientia. Te laudabit, quoad vivam, & usque ad mortem, etiam post mortem in omnem æternitatem anima mea. Tu es laus mea, tu Canticum, tu Laudatio mea. O quando incipiam sic Laudare te, ut nunquam opus sit me cessare à laude tua. Infelix corpus, & corporalis vita misera, quæ gravas Animam ut incessabiliter laudare non possit Æternam, Suavissimam,*

*Amam, Pulcherrimam, Dulcissimam, Dignissimam Sapientiam.*

*Æterna Sap. Dulcissime JESU opto ex animo ut cum primum oculos meos mane patefacio, simul etiam sese cor meum capacissime dilatet, omnibusque portis ejus flagrantissima & amantissima laudis & exaltationis tuæ flamma prorumpat, sursumque feratur cum ignitissimo cordis Amore, Tuæ Sanctissimæ Humanitatis, tuæ Pretiosissimæ Parentis, tui Supremi quem in laudem & Charitatem tuam condidisti Seraphici Spiritus, te in beata eternitate sine fine incessabiliter amantis. Atque etiam cum illa inexhausta & immensa, & incomprehensibili charitate, quæ Pater cœlestis tuus, te unicum simulque Charissimum Filium suum complectitur, per Amorem suavissimum Spiritus Sancti ex Patre, & Te Filio procedentis: Cum quo vobis sit suprema Laus & Gloria in seculum & ultra.*

## CAPUT XXIII.

*Æternæ Sapientie triplicis generis Laudatio.*

**Æ**TERNÆ Sapientie Laudatio, dulcissima esse debet amanti ipsam occupatio: nec illi potest deesse laudandi illam materies. Nam præter Divinitatem ejus, quæ sola est infinitarum Laudum materies, ipsa Sapientia, ut sensibiles, hominibus sensu duci solitis, suppeditaret Laudum suarum materias, in omnibus rebus, quas tam infinitè varias, tam variè infinitas condidit, laudum suarum segetem reliquit, & veluti in libellis quibusdam per partes descripsit, per totumque Universum, cælos, aera, Aquas, terras. Terræ viscera sparsit, ut ubi ubi homo esset, nusquam



quam Sapientiam æternam non laudaret, habundumque ejus materiam non reperiret. Quod quanquam ita est, ubi tamen experientia conlittit Æternæ Sapientiæ raros esse, qui eam laudarent, laudare vellent, laudes ejus in tot istis ubique sparsis foris & intus libellis pagellisque scriptis legere scirent; denique huc descendit, ut ipsamet laudatrix sui esset, ideoque apud Sapientem quendam denunciat toti mundo in hunc modum: (*Sapientia laudabit Animam suam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui glorietur: & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu Virtutis illius glorietur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens: Ego ex Ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem Creaturam. Ego feci in cœlis ut orietur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in Altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.*) & quæ ibi fusillimè deinceps in sui laudem prosequitur. Credo partim ideò ut se laude dignissimam Dignissimo ore, hoc est, suo laudet. partim ideò, ut rationales creaturas, ab ipsâ ad laudandum ipsas creatas, in hac tamen re negligentes, suomet exemplo confundat tanquam ingratas. partim denique ideò, ut nobis, si qui eam laudare aliquando vellemus, Materiam, ideam, exemplum laudandi se præberet. Quoniam igitur Sapientiæ Æternæ laudandæ, & onus incumbit nobis, & materia suppetit, & exemplar habemus; deesse jam officio nostro, sublatâ omni excusatione non possumus: tantum modum harum laudum (si quis tamen modus in summè laudabili

Eccl. 24. 1.

dabili & laudandâ Sapiientia Aeterna esse potest  
vel debet) discamus.

Triplex autem Modus (quantum nunc adver-  
to) Laudandi Aeternam Sapiientiam esse cogita-  
rique potest. Cordis scilicet. Oris. Operis. Cor-  
de laudatur Sapiientia Aeterna : tunc 1. quando  
Dignissimè de eâ cogitatur & decernitur, quando  
omnibus Superior, pulchrior, dignior, melior,  
dulcior, perfectior iudicatur, & velut talis sin-  
cero corde super omnia aestimatur, appretiatur,  
collocatur, exaltatur. 2. Quando etiam totâ  
affectûs interni & intimi & rationalis latitudine,  
hilaritate, conversione, perseverantiâ in eam ten-  
ditur; ita ut nulli rei quantumvis pretiosæ, tan-  
tum voluntas nostra quantum Sapiientiae Aeter-  
nae afficiatur, 3. Quando etiam de eâ suaviter,  
frequenter, amabiliter, delectabiliter, reveren-  
ter cogitatur. 4. Quando cum eâ tanquam cum  
decentissimo Amico atque fidelissimo & intimo  
versamur, moramur, communicamus, consul-  
tamus. ad absentem aspiramus & tædiosâ inque-  
titudine pungimur, languemus, marcescimus, ad  
præsentem festinamus, ruimus, nec satiamur,  
sed accendimur & famescimus. 5. Quando  
denique honori ejus, Notitiæ, Laudi, ubique lo-  
cum tam in propriis actibus, quàm in alienis cor-  
dibus cedimus & præparamus, nihilque ejus non  
laude, & Amore, & Honore signatum agimus ac  
habemus.

Ore Laudatur Aeterna Sapiientia tunc, quan-  
do ex abundantia cordis (jam modò aliquatenus  
explicata) os loquitur, & partim orando ipsam,  
partim de ipsâ, partim cum ipsa loquendo, ex-  
quisitisque & condignis, & dignissimam illi apud  
alios

79.

80.

alios opinionem parantibus verbis (prolati scriptis) uti conamur & consuescimus. tunc etiam, Quando illi affectus cordis nostri ore & verbo pandimus, non ut illos audiat, quoniam in Corde etiam antequam essent vidit, imò fecit, sed ut hac etiam parte, quâ cæteris rebus ipsa Sapientia instituyente, sensa cordium nostrorum pandimus, etiam illi tanquam opifici omnium, laudem & affectum intimum promamus.

81.

Opere Sapientia Æterna laudatur tunc. 1. Quando quicquid agimus, quacunque parte & potentiâ nostrâ, omni tempore, laudi ejus totum assignamus. 2. Quando etiam, specialia quæpiam opera honori illius diligimus & efficitur. 3. Quando non contenti puram rectamque laudandi Æternam Sapientiam, Intentionem ad quælibet opera nostra applicuisse, ex affectu condignè exaltandi Sapientiam Æternam, opera, & in Substantia & in Motivo, & in conatu Heroicâ excelsaque aggredimur ac perficimus, & totaliter ipsi Sapientiæ Æternæ submittimus. è quo genere operum, illa esse censeo, quæ Heroicam Charitatem, Patientiam, Obedientiamque etiam exterius præferunt: itemque illa quæ famam, honorem, opinionem, amorem, reputationemque propriam nostram apud homines, (secluso scandalo proximi & peccato) pessundant, nosque multum humiliant & vilificant. De hoc etiam operum genere, sunt Opera spem & Fiduciam in Deum atque Resignationem exercentia.

CAPUT

## CAPUT XXIV.

*Æternam Sapientiam Laudandi ratio  
specialis.*

**A**ccedere ad prædictas Æternam Sapientiam Laudandi rationes Specialis illa potest, quâ Æternam Sapientiam specialiore quodam modo imitamur, quem quidem modum sic explicare mihi videor posse. Æterna Sapientia cum Nos (sicut & reliqua omnia) creasset, & fini supernaturali, hoc est, Æternæ Beatitudini destinasset, mediaque congrua ad eam rem suffecisset, & nihilominus errore quodam & inscitâ eò tandem prolapsos vidisset, ut aliò longè quàm ad Æternam Beatitudinem festinarem, tacta miseratione nostri, statuit errantes nos & lapsos ad rectum iter, & statum reducere atque restituere. Quam ad rem hoc reperit medium efficacissimum, Sapientiaque convenientissimum, & Amoris in nos plenissimum. Nimirum, ipsamet in propriâ suâ personâ, statuit fieri in similitudinem nostram, Homo facta est, Incarnata est, & inter homines visa, cum Hominiibus conversata, & JESUS CHRISTUS nuncupata.

82.

Hoc Incarnationis suæ opere, Æterna Sapientia JESUS CHRISTUS, duo potissimum nobis contulit. 1. Perditos nos lapsosque à Gratiâ Dei & possidenti cæli jure, ad statum pristinum restituit, Deoque Patri reconciliavit per mortem & satisfactionem suam. 2. Sic restauratis nobis, & Jure ad patriam Beatitudinemque cælestem donatis, ostendit præterea & reliquit viam certam atque Infallibilem, quam tenentes sine dubio ad cælum perveniremus. Hæc via tribus potissimum  
in re-

83.

in rebus consistit. 1. In credendis, sperandis, amandis rebus iis, quas Iesus credendas, sperandas, amandas proposuit. 2. In observatione earum legum, quas dedit & præscripsit. 3. In usu Sacramentorum, quæ ad Salutem & Sanctificationem nostram instituit. Hæc tria, seu horum trium observatio, vulgò uno nomine, Christianæ Fidei, seu Legis appellari & comprehendere solet.

84.

Viam istam, quæ hisce dictis tribus rebus constat, Iesus duplici modo nobis tradidit. Primo Doctrina, sive Ore, Secundo Exemplo, sive Opere. Nam & docuit nos, quæ facere, quæ credere, quæ sperare, quæ amare, quæ fugere, quæ quibus rebus præferre deberemus, & quâ viâ ad Æternam Salutem iremus, & prætereà, exemplo suo, modum ea ipsa exercendi ostendit, ut ejus exemplo moti atque docti & ducti, post ipsum, per viam quam tradidit ad cælum rectam perveniremus. Quo factum est, ut nunc volenti ad Salutem ire & pervenire, opus sit Christianam legem & Fidem, opus sit Exempla Jesu Æternæ Incarnatæ Sapientiæ, tenere, implere, sequi. quæ omnia nomine tantum non re diversa sunt, adeò ut qui unum fecit, omnia eo ipso fecerit.

85.

His ita explicatis & longè repetitis ad propositum descendens meum, Æternam Sapientiam nobis esse imitandam ex dictis evidenter concludo: & sufficienter conclusum suppono. Sed Duplicem ejus imitandi rationem adverto: Unam vulgariorem & quasi magis communem, quâ 1. quis facit id, quod fecit Christus; patitur, quod passus est Christus; fugit, quæ fugiebat & oderat Christus; amat, quæ amavit Christus, & ideò quidem, quia fecit, passus est, fugiebat, ama-

bat Christus. hæc ut dixi vulgarior est ratio imitandi Incarnatam Sapientiam Jesum Christum. Alteram igitur 2. (quam in præsentem inquiram) Imitationis hujus rationem reperio, eam nempe, quæ ad priorem illam, hoc insuper addit, quia non tantum hoc agit, quod egit Christus, nec tantum ideo agit, quia egit Christus; Sed etiam eo modo agit, quo modo egit Christus. quæ est occultior, perfectior, sublimior Imitatio sapientiæ Incarnatæ. Penetrat enim ad cor ipsum sapientiæ Incarnatæ operantis, perspicit Intentionem ejus, Attentionem, Intensionem, Devotionem; uno verbo, Perfectionem; eamque sibi ad Imitandum assumit, & quantum homini GRATIA adjuto fas est, exprimere perfectissimè contendit.

Exempli Gratiâ. Si Orandum mihi est, accipio sapientiam Incarnatam pro Exemplari, illudque intuens exque illo normam orandi sumens (quod partim Evangelio, partim ratione per Fidem illuminata dictante, facilè est conjicere) ad instar ejus orationem meam instituo. Similiter si mihi est, ambulatio faciendâ, comedendum aut Loquendum: assumo sapientiam Incarnatam pro Exemplo, & ajo: Æterna sapientia Incarnata, sic loqui, ambulare, comedere solebat, aut, sic loqueretur, ambularet, comederet: hæc vitaret, has perfectiones adhiberet; ego quoque sic loquar, comedam, incedam. par de reliquis agendi rationibus sententia faciendâ est. Hæc Incarnatam sapientiam imitandi forma. Excellentissima, Utilissima, ad sanctitatis perfectionem, apicemque occupandum certissima, brevissimaque & denique ipsimet Incarnatæ sapientiæ gratissima est. Hæc est sublimis, rara, & specialis Æternam sapientiam

*V. P. Druzb. Op. VI.*

F

dilau-

86.

dilaudandi operibus ipsis Methodus : qua nihil  
& utiliùs nobis & sapientiæ jucundiùs atque opta-  
bilius. Hanc enim ut nobis instillaret & propo-  
neret Æterna Increata sapientia, Incarnari & In-  
humanari voluit ; ut nimirum homo sensualis, ab  
eâ in carne vivente & sensu utente, modum in  
Carne atque sensu spiritualiter vivendi perdisceret,  
& opere ipso adimpleret.

O Suavissima, Increata, Incarnata, Æterna  
Sapientia, purissimum & Sanctissimum, Sancte &  
spiritualiter vivendi Exemplar, imprime te Cordi  
imprime Sensui, imprime Intellectui memorieque  
mea vivo quodam malo. ut ad Te semper in omni  
actione mea reflectar, & omnia tui ad instar faciam  
sicque tuum vivum & perfectum transumptum, ut  
que exemplum, & laudator evadam.

## CAPUT XXV.

*Æternæ Sapientiæ triplex Status: & nova  
quedam Laudandi, Imitandique Ratio.*

87.

**I**N Æternâ sapientiâ cum omnia mira sunt, cum  
illud inter reliqua, quod etsi prorsus omnis sit  
expers mutationis, status tamen quosdam inter-  
dum mutasse & mutare dignoscitur. Primum enim  
ab Æterno genita ex Patre, non facta, nec creata,  
sed Æterna & Consubstantialis Patri existit &  
existit, semper nata, semper nascens. huncque  
statum ab Æternitate omni, ab initio, & ante sa-  
cula possedit. Deinde verò cum illi placuit res  
etiam à se distinctas, quasdam sui participationes  
condere, aliter & alium modum seu statum capere  
habere. Etenim quæ ante res conditas apud se  
tantum erat, & in se habitabat, beatitudinemque  
suam

suam sibi operabatur & conferebat, postmodum, rebus conditis, cæpit in eis esse, operari, habitare. Tandem etiam, cæpit eam delectatio, (an miseratione?) Creaturæ Rationalis, & facta est, non jam ut proximè in illis, sed etiam una ex illis, similis illis.

In 1. statu igitur fuit Increata. In secundo fuit (ut sic loquar) Increaturata. In 3tio Incarnata, seu, ut loquitur Damascenus Inhumanata. Quoad primum statum, Est. Quoad secundum, Inest. Quoad tertium, Subest. Est, in se. Inest, omni creaturæ. Subest, Humanitati. quia in eâ, non tanquam in Subjecto, sed ut in Supposito Humanitas nostra subsistit: Quoad primum statum, habet Essentiam. Quoad secundum, dat illam Creaturæ. Quoad tertium, accipit illam à creaturâ. Quoad primum, accipit Essentiam & Subsistentiam a Patre. Quoad secundum, dat Creaturæ utrumque. Quoad tertium, accipit Essentiam, non Subsistentiam, à Matre.

Quoad tres istos status, Æternam Sapientiam laudando imitari, & imitando laudare possemus: Sed quoad primum, quomodo id fiat, ipsa id sola novit, & solos ut puto Beatos docet. quoad tertium, quomodo fiat & fieri debeat, proximis capitibus diximus. quoad secundum & Medium statum, quomodo laudanda sit, in præsentem dicere conamur. Quantum ergo ad hunc medium secundumque statum Æterna Sapientia, inest rebus omnibus. per Essentiam, quia illis intimè & per suam Substantiam inest, magis, quam Lux aëri, aut forma Materiæ. Per Præsentiam, quia illas omnes actu existentes, actu & comprehensivè intueur, nec est ulla in-



visibilis ante ipsam, sed quælibet earum est nuda  
& aperta oculis ejus, quos habet lucidiores mul-  
tò suprà solem. Denique per Potentiam, quæ  
immediatè in res omnes, & in rebus omnibus,  
cumque rebus omnibus operatur: conservans  
eas in suo Esse continens easdem, & ad actio-  
nes earum omnes positivas reales concurrens.

89.

Itaque si quantum ad hunc Modum atque  
Statum Æternam Sapientiam Increatoratam lau-  
dare voluero: hoc utar compendio. 1. Recog-  
noscam vel memoriâ repetam Æternam Sapien-  
tiam inesse modis prædictis, tam mihi, quam re-  
bus istis quas in manu ad tractandum habeo. hoc  
est, sciam Æternam Sapientiam & mihi & rebus  
circa quas occupor, Essentialiter inesse intime,  
nec ab illis atque à me ullatenus distare: eamque  
hac de causâ in me & in omni re venerabor. 2.  
Sciam quoque illam omnium operum specta-  
tricem esse, agam igitur omnia quæ oculos ejus  
decent, & eo modo qui ejus Sapientissimo ra-  
tionali intuitui placet, nihil autem admittam  
quod illa improbet. 3. Sciam denique illam me  
per me, in me, & mecum omnia operari atque  
conservare, proinde illi me totum moderandum  
sine ullâ resistantia præbebo; imò illam tanquam  
principalem & totalem omnium auctorem,  
omnia agere solam finam: ita ut ego quasi nihil  
operer, illa autem sola per me & pro me omnia  
operetur: Tandemque illi ipsi soli omnem Lau-  
dem actionum adscribam & imputabo. v. g.

90.

Oraturus sum. Non ego me oraturum, sed  
Æternam Sapientiam in me & per me oraturam  
putabo: permittam igitur me illi totum, ut me,  
meisque omnibus membris, Orationis instru-  
mentis,

mentis, illa ex mente suâ Sapientissimâ utatur, & quam perfectissimam placitissimamque sibi orationem per me & in me faciat. Similiter Sacrum facturum sum: non me facturum, sed Sapientiam in me & per me facturam putabo: quin, & ut ipsa sola facere velit invitabo: curaboque ut ex me nullum impedimentum ac resistantiam habeat in agendo. Similiter Dormiturus sum, illam in me dormituram cogitabo. Loquor, illam loqui in me, & per me ad alterum, vel ad seipsam in altero recognoscam. Sic me igitur geram in loquendo ut non sit ægre quidquam Sapientiæ Æternæ in illâ locutione, nec sit cujus illam pudeat in locutione illâ à se per me facta &c.

O Sapientia Æterna quæ omnia opera nostra operaris nobis, in nobis, pro nobis, & uteris (tanquam instrumentis tuis) nobis: nunquid non suppetebat tibi modus, quo Tu ipsa, Te ipsam, per Te ipsam laudares in operibus tuis: sed præterea immensæ & ininvestigabili Rationi tuæ placuit, me vilissimâ tuâ Creatura uti ad hoc, ut in me & per me esses, in me & per me Caro esses, nascereris, creareris, cresceres, viveres, moreris, indueris, comederes, dormires, studeres, ambulares, orares, aspectares, audires, garrires, saperes, odorareris tangeres, palpares?

Placuit tibi esse in Lapidibus; vivere, vegetari, crescere, vivere in herbis & arboribus; sentire & delectari in Belluis: ratiocinari in Hominibus; intelligere & intueri in Angelis. Placuit Tibi coaxare in Ranis, sibilare in Serpentibus, crocitare in cornicibus, volitare in Avibus, pigram esse in Testudinibus, omnia esse in omnibus. Tantummodo non peccas, nec erras, in nobis: quia peccare & errare, Tibi nec in Te convenit, nec in nobis; sed hoc solis nobis Creaturis tuis

gcci-

accidit, quatenus defectibiles sumus, quod non ex Te, sed ex nobis nos habemus.

O Stupor! ô Incomprehensibiles vias tuas Sapi-  
entissima Sapiencia! quid istis manifestius, quid igno-  
tius consiliis tuis? es in nobis, ambulas, operaris, ma-  
nes in nobis, nec scimus, nec sentimus: cum tamen non  
sine Te, imo per Te omnia alia scimus, omnia sentimus.  
O si Aeterna Suavissimaque Sapiencia depelleres à no-  
bis cecitatis hoc genus, adeo grande & nocivum  
nobis!

O si aliquando illucesceres nobis, quæ tam intime  
es in nobis! quousque dissimulas Te esse, sine qua non  
possumus esse? an Te hoc etiam delectat ut velis igno-  
rare ipsam Te in nobis? fieret; si hoc sine nostra culpa,  
sineque nostro damno accideret Tibi in nobis.

O Sapiantissima Sapiencia, per omnes abyssos  
inenarrabilium iudiciorum tuorum, ecce Tu ipsa in me,  
Tibi supplicas, ut mihi in me, seu mavis, Tibi in me,  
& per me, & mecum appareas & innotescas, neque  
unquam (ô Sol occasum in Te nesciens) in me occum-  
bas, meque tenebris meis involvi sinas. Noverim Te  
ô Sapiencia Aeterna: noverim ut es, ut agis omnia,  
in me, & in omnibus: Noverim Te ut es in Huma-  
nitate assumpta pro Hominibus: ut Te etiam aliquan-  
do dante Te, dignus sim nosse prout es secreta à nobis  
omnibus, & occultata in Patris Tui, Aeternis &  
Beatissimis Beatificisque visceribus. Cui una tecum  
& cum Spiritu Sancto ab omni Creatura, & a me  
Laus, Amor, Adoratio, Subjectio, Gratiarum  
actio, fiat in eternum & ultra.


Amen.





Q. 374  
S. 112  
100. 4800  
II  
IV  
57





V. J.  
C. DRUZICKI.  
TOM. II.

Th

2573



G: DRUZ.  
Bicki  
oper: ascet  
Tom II  
N: V  
57